CAROLI FRIDERICI HVNDERTMARK
PHIL. ET MED. D. EIVSDEMQVE P. P. E. IN ACADEMIA LIPSIENSI ACADEMIARVM IMPERIALIS ROMANAE N. C. BONONIENSIS ET REGIAE HOLMIENSIS COLLEGAE

LIBER SINGVLARIS DE INCREMENTIS ARTIS MEDICAE PER EXPOSITIONEM AEGROTORVM APVD VETERES IN VIAS PVBLICAS ET TEMPLA



EDITIO ALTERA AVCTIOR ET EMENDATIOR

LIPSIAE
IN OFFICINA IOANNIS FRIDERICI GLEDITSCH
CIↃ IↃCC XLIX



EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO

PRINCIPI

ANGELO MARIAE

TIT. S. MARCI CARDINALI

QVIRINO

SVMMO BIBLIOTHECAE VATICANAE

PRAEFECTO

EPISCOPO BRIXIANO

DVCI MARCHIONI COMITI

CETERA

DOMINO SVO LONGE GRA-
TIOSISSIMO

PRINCIPI

SAPIENTI PIO DOCTO MVNIFICO

ET

DE OMNIBVS MVNERIBVS IMMORTALITER MERITO

STATORI LITTERARVM

SERAE COMMEMORANDO POSTERITATI

MAECENATI

SVO

SVMMA PIETATE ET RELIGIONE SVSPICIENDO

VENERANDO

HVIVS QVIDQVID EST MONIMENTI

SACRVM ESSE IVBET

DEVOTISSIMVS CLIENS

CAROLVS FRIDERICVS HVNDERTMARK



EMINENTISSIME CARDINALIS REVERENDISSIME PRINCEPS MAECENAS INDVLGENTISSIME

TE, cuius Purpuram pridem veneratus, et merita rem in publicam, cum ſacram, tum omnem

litte-

litterariam, summa illa dignitate adhuc longe maiora, admiratus sum, nunc me propius adire, et qualecumque hoc singularis meae in TE pietatis publicum monimentum TIBI, quam submississime potest, offerre, egregia TVA, quam in me esse perspexi, voluntas et gratia permittent. Nouum me hominem, et id vix sperare audentem, non tantum quam liberalissime vltro in clientelam recepisti, sed publicum etiam illius TVAE in me indulgentiae haud erubuisti edere testimonium. Et quum vera laus omnino sit, laudari laudato a viro: summa profecto laude me ornatum, immo gloria cumulatum esse, facile concipiet, quicumque, me, et mea scripta, summo QVIRINO, Viro omni laude maiori, non omni ex parte displicuisse, intellexerit. Erat in illis leuissima haec dissertatio, quae TIBI probari videbatur: hinc, ad eamdem curis posterioribus perpoliendam, TVOque suffragio adhuc digniorem reddendam, continuo me contuli. En! TIBI itaque eamdem, redeuntem ad TE, et TVO EMINENTISSIMO NOMINI inscriptam,

quam

quam vt, qua consueuisti, lenitate benignius accipere, meaeque confidentiae et temeritati clementius ignoscere velis, oro, immo efflagito. In celebrandis TVIS virtutibus, summa scilicet in Deum pietate, perfecta disciplinarum scientiarumque fere omnium cognitione atque doctrina, munificentia, comitate et gratia erga omnes, maxima cum voluptate versarer; si earum adeo facilis esset et expedita via, neque tot longe digniora et immortalia earumdem suppeterent documenta: per summam tamen illam, quae earum est princeps omnium, TVAM modestiam id saltim attigisse liceat, hoc omnes honestos in maximam TVI abripere admirationem, TE, quum ipse in summo rerum fastigio et affluentia sis constitutus, TVA tamen sponte, et data opera, aerumnae humanae quasi fieri participem, vt, ad levandam miserorum hominum calamitatem natus, ideoque mortalibus a summo Numine maximo beneficio concessus, esse videaris. Quum TE tandem, omni felicitate adauctum esse, cognoscam, votis deuotissimi clientis profecto nihil relictum est, nisi, vt Deus


Optimus

Optimus, Maximus, TE tam diu ſaluum ſeruet atque incolumem, donec naturam ipſam ſatietate viuendi expleueris. Vale et faue

EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI TVI NOMINIS

LIPSIAE
ANTE IPSAS KAL. IVLIAS
CIƆ IƆCC XLIX

humillimo clienti
CAROLO FRIDERICO
HVNDERTMARK



Salutem Lecturis.

Prodit iterum tenuiſſimus libellus academicus: *De Incrementis Artis Medicae per expoſitionem aegrotorum apud veteres in vias publicas et templa*, curis poſterioribus limatus. Hos ante decem annos defendit eumdem publice nobiscum, et ſub qualicumque noſtro praeſidio, ex Philoſophorum cathedra, Vir Clariſſimus, et de elegantiori litteratura egregie meritus, IOANNES BENEDICTVS CARPZOVIVS, graecarum litterarum nunc Profeſſor apud Helmſtadienſes Publicus Ordinarius, et ſui Ordinis hoc tempore De-

canus, amicus noſter longe ſuauiſſimus. Ea fuit eruditorum in hunc noſtrum leuiſſimum laborem indulgentia, vt nonnullis probari, immo eiusdem exempla deſiderari viderentur. Quum itaque altera eiusdem eſſet adornanda editio, perpoliendam, emendandam, et in plurimis locis augendam, quoad per ceterorum negotiorum rationem licuit, eamdem curauimus. Quod ſi vero quid minus ornate, minus adcommodate a nobis dictum fuerit, vel factum: hoc facilius nos veniam ab aequis rerum aeſtimatoribus eſſe impetraturos, confidimus, quod noſtrorum nunc ſtudiorum ſit longe alia ratio, et in illis amoeniſſimis elegantiſſimisque litteris non, niſi laxandi animi cauſſa, interdum nobis liceat verſari. Haec erit maxima opuſculi noſtri commendatio, idem EMINENTISSIMI QVIRINI REVERENDISSIMO NOMINE ornatum, praeſidioque munitum, in publicum prodire. Valete. Dabam Lipſiae ante ipſas Kalendas Iulias CIↃ IↃCC XLIX.



Con-

Conſpectus totius libri.

SECTIO I.

De expoſitione aegrotorum in vias publicas ſigillatim.

§ I.

Inſtituti ratio.

§ II.

Ridiculi nimis curioſi primorum cuiusuis artis principiorum inquiſitores. Ars medica quo modo inuenta? Expoſitione aegrotorum incrementa capit.

§ III.

Huius generis expoſitio antiquiſſimis eſt facta temporibus. Apud quas gentes ſpeciatim? Apud quas ſingulatim auctoritate publica et lege?

§ IV.

Conſuetudo haec apud Iudaeos *non recepta fuiſſe videtur.* DOVGTAEI *ſaltim et* VINKII *argumenta, pro hac re probanda, adlata, valde debilia, immo nulla.*

§ V.

VINKIVS *iterum refutatus, falſo adſerens hunc ritum* Romanis *ex* SVETONII *loco male intellecto, et perperam ad* Romanos *tracto, quum de* Rhodienſibus *agat.*

§ VI.

VINKIVS *denuo caſtigatus. Vocis* depoſitus *et* deſperatus *eamdem eſſe vim atque poteſtatem, demonſtratur.*

§ VII.

Vexati loci VIRGILII *tentata explicatio. Eius vindicatio contra alienas plurimorum ſententias. Noſtrae de eodem probatio ex* SILIO ITALICO *et* C. BARTHIO.

SECTIO II.

De expoſitione aegrotorum in templa medicinae petendae cauſſa ſpeciatim.

§ I.

Expoſitio aegrotorum in templa, et incubatio, *generatim demonſtrata. Sacerdotes olim, in primis* AEGYPTII, *artis medicae peritiſſimi. Notatus* H. CONRINGIVS.

§ II.

De incubatione *ſpeciatim. Loca in* Graecia, incubatione *clara, fanum* AESCVLAPII Athenienſe, Pergamenum, Epidaurium, Coum, Triccenſe, Achaicum Pellenaeum, *reliqua. Item* SERAPIDIS *templum* Canobicum, *et* PLVTONIS, PROSERPINAE*que aedes, et antrum* CHARONIVM *in* Nycaeis. *Apud* Romanos AESCVLAPII *templa,* Tiberinum *et* Antiatinum, *incubatione celeberrima.*

§ III.

Obſeruanda et peragenda ante incubationem: ieiunium, ſacrificia, lotio ex aqua marina. Aries AESCVLAPIO *ſacer.* Incubatio *in pellibus. Variae ſomniorum ſpecies.*

§ IV.

Exempla ſomniorum, medicamenta extra incubationem *offerentium. Eiuſmodi* M. ALEXANDRI *ſomnium fictum, quod pluribus ex* STRABONE *probatur.* VE-

SPASIANI *miraculum simulatum. Notatus* I. CASAVBONVS. SVETONIVS *explicatus.* ADRIANI *miraculum non verum.*

§ *V.*

Obseruata et peracta post incubationem. *Dona, Diis pro recuperata sanitate oblata,* donaria *dicta.* Vestes, aurum *vel* argentum signatum. I. P. TOMASINI *error.* Tabulae votiuae *varii generis. Notatus* IANVS BROCKHVSIVS, *et* TOMASINVS, *iterum lapsus.*

SECTIO III.

De ipsis incrementis artis medicae per expositionem aegrotorum in vias publicas et templa.

§ *I.*

De incrementis artis medicae per expositionem aegrotorum in vias publicas.

§ *II.*

Defectus testimoniorum hac de re in veterum scriptorum monimentis. Res argumentis euincitur. Emplastra *in templo* VVLCANI *ad Memphin descripta inuenta.* DAN. CLERICI *sententia de medicamentis,* Isis *dictis.* Collyrium *templo Ephesio testamento relictum ab auri fabro.* ANTIOCHI Theriaca *dedicata.* I. A. FABRICIVS *notatus.* SALOMONIS *liber curationum in templo Hierosolymorum.*

§ *III.*

Medicamentorum compositio non tantum descripta in templis, sed ipsa etiam remedia *ibidem collocata. Item* instrumenta chirurgica. CAELIVS AVRELIANVS *explicatus.* Voluptas *et* Febris *Deae Romanorum.*

§ *IV.*

Incrementa artis medicae per expositionem aegrotorum in templa. Monimentum hic delineatum exponitur. Speciatim inscriptio prima. Sculptorum vitia. Notatus HIERONYMVS MERCVRIALIS, *et plurimi eum sequuti. Quid* ζῶσαι ἀρεταὶ? *explicatur ex locis noui foederis, et* SOPHOCLIS, *aliorumque. Sub quo* ANTONINO *positum hoc monimentum?*

§ *V.*


Secunda inscriptio explicata. Ratio versionis reddita. Operarum vitia. CONRINGIVS, *et* GONSALIVS DE SALAS, *refutati. Vera et legitima haec fuit morbi curatio.*

§ *VI.*

Tertia inscriptio exposita. HIERONYMVS MERCVRIALIS, CONRINGIVS, *et* TOMASINVS, *notati circa eius versionem.* Pinus AESCVLAPIO *sacra. Coniectura de lapide quodam, a* M. VELSERO, *et* ALMELOVEENIO *exposito. Curatio morbi et regulis artis, et experientiae conueniens. Quo modo desperato salutaris?*

§ *VII.*

Quartae inscriptionis expositio. Ornamenta monimenti explicata. Qua ratione vera medicina somnio monstrata? Sacerdotum artificia.



AR-



ARTIS MEDICAE

INCREMENTA APVD VETERES PER EXPOSITIONEM AEGROTORVM IN VIAS PVBLICAS ET TEMPLA.

SECTIO I.

DE EXPOSITIONE AEGROTORVM IN VIAS PVBLICAS SIGILLATIM.

§ I.

Instituti ratio.



Quum, omnibus mortalibus, sui conseruandi studium atque cupiditatem, a natura insitam atque innatam esse, cognoscamus: illa ars profecto maximi erit facienda, quae seruandae humanae sanitatis praecepta, et leges, quibus labefactatae valetudini quam commodissime subueniatur, suppeditauerit. Hinc ab antiquissimis temporibus, immo ab ipso orbe condito, homines

in eamdem omni animi contentione incubuiſſe [a], ideoque
ſemper poſt hominum memoriam ſummum Medicinae fuiſſe
pretium, quis dubitauerit? Si remotiſſima tempora, ſpiſ-
ſiſſimis tenebris obuoluta, immo potius obruta, conſidere-
mus, quemlibet minus recte valentem, neceſſitate [b] coa-
ctum, ſuae ipſum conſuluiſſe ſaluti, ideoque proprium ſui
fuiſſe Medicum, animaduertimus. Et fac etiam, ita eſſe,
vt tum quam plurima minus adcommodate, et naturae non
congruenter conuenienterque facta ſint: non tamen mira-
remur, ſi etiam complures conualuiſſent, priſtinaeque fuiſſent
reſtituti ſanitati; quod rudiores illi homines, nec mollitie
morum effeminati, neque artificiis coquorum fracti, ſed
duriori potius vitae, victui ſimpliciori, parciorique, et cor-
poris exercitationi inſuefacti, maximum tutiſſimumque ſa-
nitatis firmandae, et reficiendae, haberent praeſidium. Si
tamen quis eorumdem morbo corripiebatur, vniusque ex-
perientia, in proprio corpore facta, haud eſſe poterat omni-
bus, et cognoſcendis, et ſanandis corporis vitiis: aegro-
tum collocabant, medicinae cauſſa, in viis publicis et tem-
plis, vt in illis praetereuntes conſulerent, propriumque
morbo ab iisdem peterent remedium, in his Numinum
ſuorum opem, per ſomnium ferendam, efflagitarent. Hoc
argumentum in praeſentia pertractandum ex reliquis antiquiſ-
ſimae Medicinae monimentis delegimus, nobisque omnis
tra-

a) Optimum de hac re tulit iudicium AVR. CORN. CELSVS in *Medicin. Lib. I. Praef. pag. 1: Haec* (ſcilicet medicina) *nuſquam non eſt. Siquidem etiam imperitiſſimae gentes herbas, aliaque promta in auxilium vulnerum, morborumque nouerunt.*

b) HIPPOCRATES in *libro: περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς. VI. Opp: Vol. I. Edit.* IOAN. ANTON. VAN DER LINDEN, *Lugd. Bat. 1665. pag. 16:* αὐτὴ ἡ ἀνάγκη ἰητρικὴν ἐποίησε ζητεῖσθαί τε καὶ εὑρεθῆναι ἀνθρώποισιν.

tractatio ita inſtituetur, vt primum demonſtremus, *aegrotos antiquiſſimis temporibus ante ianuas et in viis publicis fuiſſe expoſitos*, vt ex praetereuntibus quaererent, eodemne, vel ſimili, laboraſſent morbo, quaque potiſſimum re fuiſſent leuati? Explicaturi ſumus deinceps, *valetudine adfectos in templis incubuiſſe*, vt morbi remedium a Numine, per ſomnium concedendum, peterent. Eiusmodi tandem medicamentorum, et a praetereuntibus, et a Diis, quod putabant, cum aegrotis communicatorum, pluribus fiet mentio, ſimulque probabitur, *Medicam Artem*, *tum temporis adhuc fere nullam, hac ex re et initium*, *et paullo poſt maxima cepiſſe incrementa.*

§ II.

Ridiculi nimis curioſi primorum artis cuiuscumque principiorum inquiſitores. Ars Medica quo modo inuenta? Expoſitione aegrotorum in vias publicas capit incrementa.

Nullius artis, quaecumque demum illa eſt, incipientis atque naſcentis ea eſt dignitas atque excellentia, vt cuiusdam oculos in ſe conuertat: eius ideoque principia, vere prima, latere in tenebris, et eſſe obſcuriſſima, nugisque operoſis, irrito tamen conatu, quaeri a quamplurimis, nemo ſane mirabitur. Quod itaque attinet ad Medicinam, eiusdem prima origo etiam tetra eſt offuſa caligine, quatenus tamquam ars, ſecundum normam exacta, et regulas quasdam certas diſpoſita, conſideratur. Si vero eius ortum ab medicamentis, vel caſu, vel conſilio, morbo cuidam adhibitis iudicare et ſupputare velis? ex ſuperius dictis nullo negotio cognoſces, infirmae mortalium valetudinis, et Medicinae, vnam

eamdem-

eamdemque esse aetatem [c]. Quicumque enim se male adfectum sensit, sui conseruandi studio, morbi quaesiuisse medelam, et tunc Medicinam vere factam fuisse, quis negauerit? Hinc, ex propria, partim ex aliorum experientia diligentius animaduersis, quae huic vel illi morbo essent salutaria, et quae contra eiusdem officerent curationi? sensim paullatimque artis regulae, licet rudiores adhuc, minusqueconfirmato nitentes fundamento [d], enatae, longiorique vsu rerum corroboratae, fuerunt. Ad artem vero ita vix inchoatam, debilem, mutilam et mancam ordinandam magis, stabiliendamque, plurimum omnino contulit antiquissimorum populorum ille ritus, nunc fusius exponendus, quo aegrotos ante ianuas in viis publicis olim collocarunt, vt praetereuntes consulerent, num quid eiusdem, vel similis morbi essent experti? quae esset morbi natura? quod initium? incrementum? qui status? quod decrementum? quis finis? quibus tandem auxiliis adiuti pristinam recuperassent sanitatem? Ex plurimorum itaque experientia collata, saltim eosdem, aut similes morbos, curare didicerunt [e].

§ III.

c) Vid. M. FAB. QVINCTILIANI *Inst. Or. L. II. C. 17. Edit.* PETRI BVRMANN. *Lugd. B. 1720 p. 192: Illud admonere satis est, omnia, quae ars consummauerit, a natura initia duxisse: aut tollatur Medicina, quae ex obseruatione salubrium, atque his contrariorum, reperta est, et, vt quibusdam placet, tota constat experimentis. Nam et vulnus deligauit aliquis ante, quam haec ars esset: et febrem quiete et abstinentia, non quia rationem videbat, sed quia id valetudo ipsa coegerat, mitigauit.*

d) HIPPOCRATES in *lib.* iam cit. *XXI. pag. 25:* Οὐ φημὶ δὴ διὰ τοῦτο δεῖν τὴν τέχνην ὡς οὐκ ἐοῦσαν, οὐδὲ καλῶς ζητεομένην τὴν ἀρχαίην ἀποβαλέσθαι, εἰ μὴ ἔχει περὶ πάντα ἀκριβίην· ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον, διὰ τὸ ἐγγὺς εἶναι τοῦ ἀτρεκεστάτου, ὁμοῦ δύνασθαι ἥκειν λογισμῷ, ἐκ πολλῆς ἀγνωσίης, θαυμάζειν τὰ ἐξευρημένα, ὡς καλῶς καὶ ὀρθῶς ἐξεύρηται, καὶ οὐκ ἀπὸ τύχης.

e) GERHARD. IOAN. VOSSIVS *de Philosophia Cap. XI. de origine Medicinae* etc. § *I: Origo Medicinae est ab experientia. Experientiae oc-*

casio

§ III.

Huius generis expositio antiquissimis temporibus est facta. Apud quas gentes speciatim? Apud quas singulatim auctoritate publica et lege?

Antiquissimis ideoque temporibus, antea quam Medici essent, et quum quisque suae ipse consuleret saluti, expositionem factam fuisse aegrotorum, Medicinae a praetereuntibus petendae caussa, et ea re artem medicam egregia cepisse incrementa, magnamque fuisse factam, disertis verbis adfirmat PLVTARCHVS[f]: Οἱ δὲ σφόδρα παλαιοὶ καὶ τὲς νοσȣ̃ντας φανερῶς προσεῖχον. Τέτων δὲ ἕκαςος εἴ τι πρόσφορον ἔχοι παθὼν αὐτὸς, ἢ παθόντα θεραπεύσας, ἔφραζε τῷ δεομένῳ. Καὶ τέχνην ἕτω φασὶν ἐκ πείρας συνεργαζομένην μεγάλην γενέσθαι. Item MAXIMVS, *Tyrius*, *Platonicus*[g]: Φασὶ δὲ καὶ ἰατρικὴν εὑρῆσθαι τὸ ἀρχαῖον ὡδί. Κομίζοντες οἱ οἰκεῖοι τὸν κάμνοντα εἰς τῶν ἀγυιῶν τὴν ἐν τριβῇ κατετίθεντο· ἐφιςάμενοι δὲ οἱ ἄνθρωποι καὶ ἀνερωτῶντες τὸ ἄλγος ὅτῳ τὸ αὐτὸ ξυμπεσὸν ἔπειτα ὤνατο ἢ ἐδωδῇ τινὶ, ἢ καύσας, ἢ τεμὼν, ἢ διψήσας, παρετίθεντο, ἕκαςοι ταῦτα κάμνοντι οἱ πεπονθότες πρότερον καὶ ὠφελημένοι. ἡ δὲ ὁμοιότης τȣ̃ πάθους συναθροίσασα τὴν τȣ̃ ὠφελήσαντος μνήμην, τῇ κατ᾽ ὀλίγον ἐντεύξει ἐπισήμην ἐποίησε τὸ πᾶν. Sed quod haec generatim tantum de antiquissimis gentibus dicta sint; videamus, si suppeditent veterum scriptorum testimonia, quibus id apud gentes, sigillatim nominatas, factum demonstrent. AEGYPTIOS id facere solitos fuisse, paullo inferius e STRABONIS loco elucebit. De BABYLONIIS

casio a necessitate. Incrementa dedit consuetudo, qua antiquis temporibus aegri solebant in via exponi, quo rogarent transeuntes, eodemne morbo laborassent, et quo pacto essent restituti.

f) *Opp. Tom. II. Lib.* qui inscribitur: Ἐι καλῶς εἴρηται τὸ λάθε βιώσας. Vide sis ANDREAM TIRAQVELLVM *de Nobilit. Tom. I. Cap. 31. 38.* THEOD. IANSON AB ALMELOVEEN *Inuent. Nou. Antiq. X. p. 108. 109.*

g) *Dissert. XL. Edit.* IOAN. DAVISII, *p. 416.*

LONIIS vero ſpeciatim idem adfirmat STRABO [h]: Τοὺς δ' ἀῤῥώστους εἰς τὰς τριόδους ἐκτιθέντες, πυνθάνονται τῶν παριόντων εἴ τις τὶ ἔχοι λέγειν τοῦ πάθους ἄκος. Οὐδεὶς τέ ἐστιν οὕτω κακὸς τῶν παριόντων, ὃς οὐκ ἐντυχὼν, εἴ τι φρονεῖ σωτήριον ὑποτίθεται. Quem STRABONIS locum LVD. CAEL. RHODIGINVS, de eo ritu, apud ASSYRIOS agens, ad verbum fere latine ſic reddit [i]: *Mos genti illi* (ASSYRIIS) *peruetus, aegrotos in viis proponendi, exquirendique a praetereuntibus, an morbo id genus norint remedia? Etenim nemo tam improbus fuerit, qui ſciens non grate impertiatur.* Haec non tantum fuiſſe conſuetudinis, ſed publica etiam lege apud BABYLONIOS eſſe cautum, ita vt fieret, egregie confirmat HERODOTVS [k]: Δεύτερος δὲ σοφίη ὅδε ἄλλος σφι νόμος κατεστήκεε. Τοὺς κάμνοντας ἐς τὴν ἀγορὴν ἐκφορέουσι· οὐ γὰρ δὴ χρέωνται ἰητροῖσι. Προσιόντες ὦν πρὸς τὸν κάμνοντα, συμβουλεύουσι περὶ τῆς νόσου, εἴ τις καὶ αὐτὸς τοιοῦτον ἔπαθε ὁκοῖον ἂν ἔχοι ὁ κάμνων ἢ ἄλλον εἶδε παθόντα. Ταῦτα προσιόντες συμβουλεύουσι, καὶ παραινέουσι ἅσσα αὐτὸς ποιήσας ἐξέφυγε ὁμοίην νοῦσον, ἢ ἄλλον εἶδε ἐκφυγόντα· σιγῇ δὲ παρεξελθεῖν τὸν κάμνοντα οὔ σφι ἔξεστι, πρὶν ἂν ἐπείρηται ἥντινα νοῦσον ἔχῃ. Ex quo loco ſimul apparet, piaculum fuiſſe, praeterire eiuſmodi publice expoſitos ante, quam quis ad eorum reficiendam ſanitatem qualemcumque ſuam contuliſſet operam. Quod in aliis quam plurimis rebus animaduertere conſueuimus, legibus, exempli cauſſa, conſuetudinibusque populorum, eas transferri a gente in gentem, ſi ſingularem vſum in republica habere videantur, id cognoſcimus etiam de expoſitione aegrotorum in loca publica, quippe quam admodum vtilem et aliae gentes futuram

h) *Geograph. Lib. XVI. Edit.* ALMELOVEENII, *Amſtel.* 1707. *p.* 1082. *Conf.* IOANNIS LANGII *Epiſt. Medicin. Lib. III. Ep. VI. p.* 934.

i) *Antiqu. Lect. Lib. XVIII Cap.* 34.

k) *Edit. Lugd. Bat.* 1715. *c. not.* IACOBI GRONOVII *Lib. I. Cap.* 197. *p.* 80.

turam ſibi perſuadentes, ab AEGYPTIIS veteribus, aliisque, iam enumeratis, mutuatae ſunt. Ita STRABO [l] de hoc ritu, LVSITANIS vſitato, ſic exponit: Τȣ̀ς δὲ ἀῤῥώϛȣς, ὥσπερ οἱ Αἰγύπτιοι τὸ παλαιὸν, προτιθέασιν εἰς τὰς ὁδȣ̀ς, τοῖς πεπειραμένοις τȣ̃ πάθȣς ὑποθήκης χάριν. Et de HIBERIS tandem, Aſiae populo, hoc diſertum HERM. SOZOMENVS [m] edit teſtimonium: Συμβὰν δὲ μειράκιον ἐνταῦθα δεινῶς ἀσθενεῖν, περιφέρȣσα καθ' ἕκαϛον οἶκον ἡ μήτηρ ἐδείκνυεν. ἔθος γὰρ Ἴβηρσι τȣ̃το ποιεῖν, ἵν', εἴ τις εὑρεθείη τȣ̃ νοσήματος ἰατρὸς εὐπόριϛος γένηται τοῖς κάμνȣσιν ἡ τȣ̃ πάθȣς ἀπαλλαγή.

§. IV.

Conſuetudo haec apud Iudaeos *non recepta fuiſſe videtur*, DOVGTAEI *ſaltim et* VINKII *argumenta*, *pro hac re probanda*, *adlata*, *valde debilia*, *immo nulla.*

Sunt nonnulli antiquorum rituum adeo amantes, vt ſimul, atque eiuſmodi alicuius ſimulacrum ſaltim apud populum quemdam inuenerint, eum continuo ad alias gentes, quaſcumque fere ſibi obuias, transferre, eumque tamquam proprium illis adſignare, ſummo opere ſtudeant. Horum numero adſcribendus erit Clar. IOANNES DOVGTAEVS [n], quando

l) *Geograph. Lib. III. p. 234.* Vid. LVD. CAEL. RHODIGINI. *Lect. Antiq. Lib. XVIII. Cap. 22.*

m) *In Hiſtoria Eccleſiaſtica*, *Edit.* GVLIELMI READING, *L. II. C. 7. p. 53 Cantabrigiae 1720.* De SCOTIS idem referentem vide GODOFRED. ANDR. ZAHNIVM in *Diſſertatione de Orig. Progreſſ. et Dignit. Medic. Veſaliae 1708. edit. p. 36.*

n) *in Analectis ſacris*, *ſiue Excurſibus Philologicis breuibus ſuper diuerſis Vet. et Noui Teſtamenti locis*, *Part. poſter. Excurſ. XXIV. Amſtelaed. 1694. edit. pag. 35.* Immo, quod valde mireris, eamdem cum DOVGTAEO fouet ſententiam IO. CHRPH. WOLFFIVS in *Curis Philologicis* ad MARCI locum citatum *p. 470.* Et CORNELIVS ADAMI, *V. D. M. Damonenſis in Belgio*, *Exercit. Exeget. Groeningae 1712. edit. p. 145.* putat, IEREMIAM *Cap. LI, 8, 9*, vbi de Babelis exitio eſt vaticinatus, ad hunc morem perantiquum, aegrotos in viis deponendi, reſpexiſſe. Interim ex Chaldaeorum et Aſſyriorum

quando in loca noui foederis, mox subsequutura, fusius commentatus: *In vicis*, ait, *seu plateis, vidimus, valetudinarios suos solebant exponere ad transeuntium contuitum, vt sic ab eis forsan sanitatis aliquam methodum acciperent. Fecerunt hoc ipsum hic in Christi transitu.* In eamdem sententiam ire nullus dubitat DANIEL VINK [o], quippe qui, hunc veterum attingens morem, eumdem IVDAEIS proprium fuisse, adfirmare conatur. *Apud Iudaeos*, inquit, *etiam viguisse, patet ex loco* MARCI [p]: Καὶ ὅπου εἰσεπορεύετο εἰς κώμας, ἢ πόλεις, ἢ ἀγρούς, ἐν ταῖς ἀγοραῖς ἐτίθουν τοὺς ἀσθενοῦντας καὶ παρεκάλουν αὐτὸν, ἵνα κἂν τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ ἅψωνται· καὶ ὅσοι ἂν ἥπτοντο αὐτοῦ, ἐσώζοντο. Et in ACTIS APOST. [q] ὥστε κατὰ τὰς πλατείας ἐκφέρειν τοὺς ἀσθενεῖς, καὶ τιθέναι ἐπὶ κλινῶν καὶ κραββάτων, ἵνα ἐρχομένου Πέτρου κἂν ἡ σκιὰ ἐπισκιάσῃ τινὶ αὐτῶν. Sed, his paullo diligentius consideratis, videamus, si cum DOVGTAEO et VINKIO, aliisque, ex re semel, vel iterum, et in casu plane singulari, facta continuo totius cuiusdam populi ritum extorquere valeamus, vel potius in contrariam partem iure quodam nostro abeuntes, eorumdem euertamus sententiam. Constat inter omnes, sacris qui initiati sunt Christianis, Christum Seruatorem, eiusdemque discipulos ea fecisse, quae omnino omnes in summam raperent admirationem;

Hinc

rum hac consuetudine illustrari saltim posse videntur verba IEREMIAE in *Threnis I, 12*, vbi Hierosolyma, a Chaldaeis excisa, depingitur tamquam mulier adflicta, et in viam proiecta, et consilium praetereuntium anxie implorans: *Intuemini! et videte, an sit dolor par dolori meo, qui factus est mihi?* et *v. 18. Audite, quaeso, omnes populi, et adspicite dolorem meum.* Conf. IOAN. NIC. WEISSIVS *de re medica veterum Graecorum, ad illustranda quaedam diuini Codicis loca. Altd.* 1746.

o) *in Amoenitat. Philologico-Medicis, p. 59. Sect. I. Cap. IV. Traiect. ad Rhen.* 1730 *edit.*

p) *Cap. VI. v. 56.*

q) *Cap. V. v. 15.*

Hinc populorum, in quibus verſabantur, eam factam fuiſſe in illis fiduciam, vt a viris diuinis etiam diuina expeterent, id quod et ex priori loco clarum fit, vbi Chriſtum rogabant, vt vltimam veſtis ſuae partem ab aegrotis attingi tantum pateretur, certo ſibi perſuadentes, vel hac re eoſdem reſtitutum iri, et ex altero loco egregie elucet, vbi, vel per vmbram Petri aegrotos ſanitatem priſtinam recuperaturos eſſe, credebant. Haec vero peracta fuiſſe, facta aegrotorum in vias publicas expoſitione, non, quod quidem videtur, a ritu quodam, qui apud IVDAEOS obtinuiſſet, cuiuſque, quod ſcimus, nullo alio in loco fit mentio, profecta fuerunt, ſed IVDAEOS id, neceſſitate coactos, in hoc tantum caſu ſingulari feciſſe, pro comperto habemus. Chriſtus enim Seruator, et diſcipulus eius Petrus, mirandorum factorum multitudine admodum conſpicui, et celebres, numquam incedebant, niſi ſtupenda hominum turba circumfuſi, qui miraculorum videndorum cauſſa eoſdem ſequebantur; Hinc non tam facilis ad eosdem aditus in domibus erat, id quod vel hic locus demonſtrare poterit, vbi in Sacro [r] Codice relatum legimus: Καὶ ἔρχονται πρὸς αὐτὸν, (Chriſtum) παραλυτικὸν φέροντες, αἰρόμενον ὑπὸ τεσσάρων. Καὶ μὴ δυνάμενοι προσεγγίσαι αὐτῷ διὰ τὸν ὄχλον, ἀπεστέγασαν τὴν στέγην ὅπου ἦν· καὶ ἐξορύξαντες χαλῶσι τὸν κράββατον, ἐφ ᾧ ὁ παραλυτικὸς κατέκειτο. Et hoc quidem primum et praecipuum fortaſſis fuit huius publicae expoſitionis argumentum, vt ſcilicet in locis publicis ad Chriſtum hoc facilior pateret aditus. Sed aliud quoddam adhuc hariolamur. Veri ſcilicet e contrario ſimile omnino nobis eſt, IVDAEOS haec, tamquam noua et nondum audita genti illi, eo feciſſe conſilio, vt hominum, Chri-

 ſtum

r) MARC. *Cap. II. v. 3. 4.*

ſtum Seruatorem, vel Petrum ſequentium, multitudo, huius rei nouitate et inſolentia perturbata, hoc citius, maiorique impetu, irrueret in locum, vbi expoſiti eſſent aegroti, et Chriſtum vel Petrum illic deducere, nouorum videndorum miraculorum ſpe incitati, niterentur. Quae quum ita ſint, poterimusne vſque eo eſſe confidentes, vt exinde conſuetudinem gentis exſculpere audeamus?

§ V.

VINKIVS *iterum refutatus, falſo adſerens hunc ritum* ROMANIS *ex* SVETONII *loco male intellecto, et perperam ad* ROMANOS *tracto, quum de* RHODIENSIBVS *agat.*

Nunc ad ROMANOS transgrediamur, et apud eosdem publice expoſitos, ſi quos habent, viſitemus aegrotos. Religioni duceret DAN. VINKIVS [s], niſi, eumdem apud ROMANOS ritum fuiſſe, pleno ore adfirmaret. *Immo*, inquit, *hanc conſuetudinem etiam apud* ROMANOS *fuiſſe, conſtat ex his* VIRGILII *verbis* [t]:

Ille vt depoſiti *proferret fata parentis.*

Sed relinquamus paullulum hunc locum, infra eumdem fuſius diſputaturi, et videamus alterum, quem VINKIVS, ex SVETONIO [u] deſumtum, ſummum, certiſſimumque ſententiae ſuae confirmandae ſuppeditare argumentum, putat. *Forte quodam in diſponendo die*, inquit SVETONIVS, de TIBERIO NERONE, *mane praedixerat, quidquid aegrorum in ciuitate eſſet, viſitare ſe velle: id a proximis aliter exceptum eſt: iuſſique ſunt omnes aegri in publicam porticum deferri, ac per valetudinum genera diſponi. Perculſus igitur inopinata re,* diu

s) *Amoenit. Philol. Medic. Sect. I. Cap. IV. p. 58.*

t) *Lib. Aeneid. XII. v. 395.*

u) In TIBER. NER. CAES. *Lib. III. Cap. XI. Edit.* IOAN. GEORG. GRAEVII, *Trai. ad Rhen. 1703 p. 306.*

diu, quid ageret, incertus, tandem singulos circuit: excusans factum etiam tenuissimo cuique et ignoto. Hinc VINKIVS strenue adfirmat, ritum fuisse ROMANIS, vt aegrotos in publicas vias curationis ergo deponerent, id, quod fortassis ab antiquissimis ita factum fuisse Romanis, aliarum gentium imitatione, haud penitus negare velim, ex hoc vero loco euinci posse, numquam concessero. Inquiramus propter ea diligentius huius in loci indolem atque naturam, et videamus, si quid inde, ad confirmandum VINKII argumentum, vel potius diluendum, commode possit peti atque desumi. Narrat SVETONIVS, TIBERIVM NERONEM, non *Romae*, sed in secessu, in insula *Rhodo* versantem, et quidem ante, quam summa rerum potiretur, et AVGVSTO adhuc tum superstite, aegros quodam die visitare voluisse, quod, et ipsis Imperatoribus in vsu fuisse [x], constat, vt scilicet hac comitate atque familiaritate populi delenirent animos, ad suosque adiungerent vsus, idque proximis aliter excipientibus [y], iussos

x) De hoc ipso TIBERIO, iam Imperatore, simile quid refert VELLEIVS PATERCVLVS L. II. C. 114. 1. *Nemo e nobis gradumue nostrum aut praecedentibus, aut sequentibus, imbecillus fuit, cuius salus aut valetudo non sustentaretur Caesaris cura: tamquam distractissimus ille tantorum onerum mole huic vni negotio vacaret animus.* De *Claudio* DION, de *Hadriano* SPARTIANVS, de *Traiano* et *Gratiano* AVSONIVS Panegyrico, narrant. Conf. IS. CASAVBONVM et LAEVIN. TORRENTIVM ad h. l. et SAMVEL. PITISCI notas in eumdem, in sua SVETONII editione.

y) Hic error, qui a TIBERII amicis omnino propter vocis similitudinem commissus esse, mihi quidem, videtur, facile mihi persuadet, vt in LAEVINI TORRENTII, hunc in locum commentantis, sententiam lubens eam, licet ipse adhuc subdubitet, an in vrbe tam celebri et frequenti tantum agrorum fuerit? et, TIBERIVM, scilicet, NERONEM *agros*, non *aegros* visitare voluisse, arbitrer, quidquid contradicat ISAACVS CASAVBONVS. Vid. CAIVS SVETONIVS TRANQVILLVS *loc. c. p. 306. seq.*

ſos fuiſſe aegros omnes in publicam porticum deferri, et ſecundum valetudinum genera diſponi. Haec, inſcio atque imprudente TIBERIO facta fuiſſe ab amicis, eiuſdem verba minus recte capientibus, diſerta SVETONII, verba docent, immo ex his ſequentibus adhuc magis patebit. Perculſus enim inopinata re, diu quid ageret incertus, tandem ſingulos circuit: excuſans factum etiam tenuiſſimo cuique et ignoto. Si apud *Rhodienſes*, aegrotos publice exponi, ritus obtinuit, qui, obſecro, factum eſt, vt TIBERIVS hac re tamquam inopinata vſque eo percelleretur, vt diu non haberet, quid diceret et ageret? Cur tanta egit humanitate, vt ſingulis vel tenuiſſimis ſigillatim accederet et factum excuſaret? Opusne fuit excuſatione in re vſu recepta, et quae cum aegrotis quotidie fiebat? Ex his omnibus, in praeſentia fuſius diſputatis, ſatis ſuperque clarum fiet, VINKIVM omnino, idque duplici ratione, eſſe alucinatum, quod ſcilicet ROMANIS adſignauerit, quae apud RHODIENSES erant acta, et ex re inſolenti, et per errorem facta, ritum gentis effinxerit.

§. VI.

VINKIVS *denuo caſtigatus. Vocis* depoſitus *et* deſperatus *eamdem vim atque poteſtatem eſſe, demonſtratur.*

Sed redeamus ad VIRGILII locum, quem paullo ante reliquimus. Hic fortasſis VINKII ſententiae maius erit praeſidium [z]:

Iamque

z) *Aeneid. Lib. XII. v. 391. ſqq.* Vide DE LA CERDA, qui digniſſimus eſt, qui hunc in locum conferatur, in IACOBI EMMENESSII *Editione Lugd. Bat. 1680. Tom. III pag. 902.*

Iamque aderat Phoebo ante alios dilectus Iapyx [a]
Iasides, acri quondam cui captus amore,
Ipse suas artes, sua munera laetus Apollo
Augurium, citharamque dabat, celeresque sagittas.
Ille, vt depositi *proferret fata parentis,*
Scire potestates herbarum, vsumque medendi
Maluit, et mutas *agitare* inglorius artes.

Hoc in loco inuentum expositionis aegrotorum ritum, apud ROMANOS, mirum in modum gloriatur vir bonus, et vel vere et re ipsa depositum patrem Iapycis putat, vel profecto, ex hac loquendi ratione probari posse, existimat, morem fuisse ROMANIS, vt suos aegrotos publice medicinae caussa deponerent. Si primum, vnde, quaeso, probabit? quorum scriptorum auctoritate? locone SVETONII? certe, si Diis placet! nempe de insula *Rhodo*, non *Roma*, exponente; sed paullo ante euertimus testimonium, duplicemque VINKII demonstratum dedimus errorem. Sin posterius, nondum omni ex parte transacta res est, nec vsquam huius rei testimonium apud rerum gestarum scriptores, disertis verbis expressum, inuenitur, nisi ROMANOS, quod minime verisimile, etiam sub antiquissimarum gentium nomine intellectos velimus, quarum in loco PLVTARCHI [b], supra commemorato, fit mentio, et SERVII commentationem in hunc locum, de ROMANIS tantum speciatim explicandam, putemus. Augurarer potius, et, a veritate propius abesse, equidem puta-

a) *Iapyx, Iapycis*, non, quod nonnullis videtur, *Iapis, Iapidis*. Vide IOANNIS PIERII *castigationes in L. XII Aeneidos Virgilianae v. 391.* in PETRI BVRMANNI *Virgilio, Amstelodami 1746. edito, Tomo IV. p. 353.*

b) *Sect. hui. libri I. § III. pag. 9.*

tarem, hanc loquendi rationem, Latinis frequentius vſurpatam, deſumtam eſſe vel ab expoſitione aliis gentibus vſitata, vel ab aegrotis deſperatis, *depoſitis* in AESCVLAPII templo, quod erat in inſula Tiberina, cuius rei innumera ſunt apud optimos ſcriptores, et peregregia omnino, teſtimonia, quae mox paullo diligentius ſumus conſideraturi. Optimis vero Latinis ſcriptoribus hanc figuratam loquendi rationem, vt ſcilicet vocis *deſperati*, et *depoſiti* [c], eadem eſſet vis atque ſignificatio, vel a patrio ritu, vel aliunde petito, deſumtam, in vſu fuiſſe, conſtat inter omnes. Ita CICERO [d]: *Itaque mihi videor magnam, et maxime aegram, et prope* depoſitam *rei publicae partem ſuſcepiſſe: neque in eo magis meae, quam veſtrae laudi exiſtimationique, ſeruiſſe.*

§ VII.

Vexati loci VIRGILII *tentata explicatio. Eius vindicatio contra plurimorum alienas ſententias. Probatio noſtrae de eodem ſententiae ex* SILIO ITALICO, *ex* CASP. BARTHIO.

His vero iam, quod ſatis, diſputatis, vix contineri poſſumus, quin prius, quam de expoſitis aegrotis in templa Deorum, et quae ſunt reliqua, dicere adgrediamur, paucis quibusdam in VIRGILII locum, paullo ante citatum, commentemur, in primisque in hos duo verſus:

Scire

c) ISIDORVS *Orig. Lib. X. in Auctor. Latin. Ling. in vnum redactis per* DIONYSIVM GOTHOFREDVM, p. 1072. Deſperatus *vulgo vocatur malus ac perditus, nec iam vllius proſperae ſpei. Dicitur autem per ſimilitudinem aegrorum, qui affecti et ſine ſpe deponuntur. Conſuetudo autem erat apud veteres, vt* deſperati *ante ianuas collocarentur, vel vt extremum ſpiritum redderent terrae, vel, vt poſſent a tranſeuntibus forte curari, qui aliquando ſimili laborauerant morbo.*

d) *In Verrem Lib. I. Cap.* 2. Vid. OVIDIVS *Epiſt. de Pont. II. Lib. II.* et *Eleg. III. Lib. III. Triſt.* Confer GONSALII DE SALAS *Comment. ad* PETRONIVM *C. CXXXIV. Edit.* PET. BVRMANNI, *Trai. ad Rhen.* 1719 *p.* 235.

Scire poteſtates herbarum vſumque medendi
Maluit, *et* mutas *agitare* inglorius artes.

Mirum eſt, quam egregie in explicatione huius loci vexentur atque exerceantur ſummi, doctiſſimique viri. Sunt, qui, artem medicam ea de cauſſa *mutam* a poetis dictam eſſe, putant, quoniam non in eloquentia conſiſtat, ſed in operationibus et remediis [e]; Alii, ſic vſurpatam fuiſſe, arbitrantur, quatenus conferatur cum augurio et muſica, quippe quae tota ſonora ſit, et voce exerceatur, *inglorium*que Iapycem dictum eſſe putant reſpectu poetarum et vatum; poetas enim nomini conciliare immortalitatem [f]. Alii, qui optime gloriae artis medicae, omnino hic laboranti, conſulere ſtudent, exiſtimant, VIRGILIVM tantummodo loquutum eſſe de Medicina rationali vel clinica. Porro ſunt etiam, qui, artem medicam *mutam* appellatam eſſe, contendunt, quod Medicum, omnia ab aegroto ſibi concredita, ſilere oporteat [g]. Celeberrimus tandem IOANN. HENR. SCHVLZIVS [h], loci explicationem repetendam eſſe, exiſtimat, ex Aegyptiorum, Graecorumque myſteriis, vtramque enim gentem in templis *Serapieis* et *Aſclepieis*, HARPOCRATES atque TELESPHOROS, qui, digito labiis impreſſo, de ſilentio admonerent, collocaſſe, indeque, medicinam artium *mutarum* nomen traxiſſe, putat. Immo vero, *mutam* fuiſſe artem medicam, inde probare contendit, quod in AESCVLAPII

 templo

e) FVLVIVS VRSINVS et cum eo faciens HIERONYMVS MERCVRIALIS *Variar. Lect. Lib. III. Cap. 13. pag. 170.*

f) DAN. VINKIVS *in Amoenitat. Philolog. Med. Sect. III. Cap. VI. § 6. pag. 451.*

g) IOAN. HENR. MEIBOMIVS ad *iusiurandum* HIPPOCRAT. *Lugd. Batau. 1643. edit. Cap. XIX. § 20.*

h) In elegantiſſimo programmate, *de artibus mutis*, *Halae 1732.*

templo *incubantibus* ſub noctis ſilentio a ſacerdotibus adhibita medicina fuerit, et quae ſunt reliqua.

Nunc de ſingulorum ſigillatim diſpiciamus ſententiis, iisque accedamus, qui, totius loci rationem habentes, non partium ducuntur ſtudio, ſed potius loco rite exponendo, quam gloriae artis medicae confirmandae, conſulere nituntur. Prima itaque frigida eſt coniectura, nec vllo nititur fundamento, licet, CLAVD. SALMASIVM [i] ab his ſtare partibus, animaduertamus. Hanc ſententiam ſequuti, veriti ſunt, ne, *mutus* per ignobilis explicantes; gloriae medicae artis quid detrahant, et hac de cauſſa voci huic aliam adſignarunt vim et ſignificationem, quam ne vno quidem alius ſcriptoris loco comprobare poſſunt. VIRGILIVS hic loquitur de munere Apollinis, augurio, et artibus eiuſdem, muſica, ſagittandi peritia, et medicina [k], et Iapycem, ait, maluiſſe exercere *mutas artes*, ſcilicet poteſtates herbarum ſcire, et vſum medendi. Qui igitur fit, vt ars medica, non tantum collata cum augurio et muſica, ſed etiam, quod bene notandum, cum ſagittandi arte, *muta* tantummodo dicatur? Conſiſtitne fortaſſis ars ſagittandi in eloquentia? quum vero hoc adfirmare ridiculum foret, nullo negotio cognoſcimus, quam inepta ſit haec huius loci expoſitio, praecipue quum vox *muta*

i) In *Prolegomenis Exercitationum de Homonymis Hyles Iatricae, Trai. ad Rhen. 1689. edit. pag. 13.* vbi in noſtrum hunc VIRGILII locum haec habet: *Quare* mutas artes *appellare poetae libuerit medicinam, et rem herbariam, Grammatici ibi quaerunt. De vetere loquitur medicina, quae in opere tantum conſiſtebat, et manu ſola agebat, vnde et* Χειρουργικὴ *omnium antiquiſſima medendi ratio. Herbas legere, etc. munus olim Medici vnius fuit, artem ſuam non lingua exercentis, ſed opere.*

k) SERVIVS ad hunc locum, *cithara*, ait, *et ſagittae* artes *ſunt, augurium vero* munus: *non enim ſola arte, verum etiam indulta diuinitate colligitur.*

muta in hoc ſignificatu eodem iure vel viliſſimis artibus adiungi poſſet, ſartoriae, ſutoriae, piſtoriae, aliisque, quamuis acriter in illos inuehatur HIERONYMVS MERCVRIALIS[l], qui huic opinioni contradicere conantur. Ad alteram accedamus ſententiam, quae fortaſſis propius aberit a veritate. Medicam artem *mutam* nominatam hi arbitrantur, quatenus conferatur cum augurio et muſica, quippe quae tota ſonora ſit et voce exerceatur. Sed vbinam gentium relinquunt ſagittandi artem? huiuſne etiam aliquam rationem in exponendo loco habendam eſſe, arbitrantur? putauerim equidem, ſed illi contra; timent tantum, ne vox *inglorius* adiuncta ſuae quid detrimenti adferat ſententiae, et ideo adfirmant, Iapycem, artem medicam exercentem, *inglorium* dici, reſpectu vatum et poetarum; poetas enim nomini conciliare immortalitatem. Ita rem egregie tranſactam ſibi perſuadentes, dum vitia fugiunt, in contraria currunt. Vindicari putant medicam artem ab omni ignominia, detorquendo vocis *mutus* ſignificationem, et explicando eam longe aliter, quam totiūs loci ratio permittit, et obtrudunt eidem ignobilitatem, dum poetis et auguribus tantum concedunt, eos ſibi immortalitatem parare poſſe. Si verum eſt, tantam fuiſſe tum temporis artis medicae dignitatem, quidni etiam Medici nomini immortalitatem conciliare potuerunt[m]? Sed ſcio,

 qui

l) *Var. Lect. Lib. III. Cap. 13. pag. 170.*

m) Olim artis medicae, imperfectae adhuc admodum, non tantam, apud Romanos in primis, fuiſſe nobilitatem et dignitatem, et eam plaerumque a ſeruis, et libertis fuiſſe exercitam, conſtat inter omnes, licet non lateat, etiam Medicos quoſdam ſingulari ornatos fuiſſe honore, et habitos in amicis Imperatorum. Confer, ſis, MARQVARDI FREHERI *παρέργων ſeu Veriſimilium Lib. II. Cap. 16. de ſeruis et libertis Medicis,* ceterea,

qui ſcrupulus vrgeat, hanc ſententiam ſequentium anteſignanum, DANIELEM VINKIVM, egregium alienarum operarum compilatorem, hic arti medicae vindicias ſecundum libertatem decernere contendit, locis ſcriptorum vndique corraſis, vnumque in locum ſine diſcrimine confertis, ideoque religioni ducit, in veterum monimentis quid explicare, quod vel minima ex parte nobilitati medicae artis ſit contrarium; Hinc loca ſcriptorum exponit, non vti rei ratio requirit, ſed vti inſtituti ſui exigit neceſſitas. Sed nos ad reliquorum, his relictis, conuertamus vel confirmandas, vel refellendas, ſententias. Sunt, qui, VIRGILIVM hic tantum de Medicina empirica et chirurgica loquutum eſſe, cenſent, ſed vnde, quaeſo, ſunt effecturi, vt nos iis fidem habeamus? *Vſus*ne *medendi* generatim denotat omnem medicinam, quae et manu fit, et quae alia ratione corpori adplicatur laboranti?

cetera, in EVERARDI OTTONIS *Theſaur. Iur. Rom. Tom. I. pag. 926.* et Illuſtris HEINECCII *Antiq. Rom. Lib. I. Tit. XXV. §19.* ubi SPONIVS, contraria adfirmans, egregie refutatur; CONYERS MIDDLETON. *de Medicorum apud veteres Romanos degentium conditione, diſſertat. qua contra viros celeberrimos* IAC. SPONIVM *et* RICH. MEADIVM, *ſeruilem eam fuiſſe, oſtenditur, Cantabrigiae 1726.* et eius *Defenſionem diſſertationis de Medicorum Romae degentium conditione ignobili et ſeruili, contra anonymos quoſdam, notarum breuium, reſponſionis atque animaduerſionis auctores, Part. I. Cantabrigiae 1727.* item: *An Eſſay upon the ſtate and condition of Phyſicians among the ancients, occaſioned by a late diſſertation of the Reuerend. Dr.* MIDDLETON, *aſſerting that Phyſick was ſeruile and diſhonourable among the old Romans, and only practiſed by ſlaues and the meaneſt of the people. By* CHARLES LA MOTTE *A. M. Chaplain to the Duke of Montagu, F. R. S. and member of Society of Antiquaries in London. Lond. 1728.* Conf. *Biblioth. Angloiſe Tom. XV. pag. 505. ſeqq.* et Cel. SCHVLZII *Excurſionem in antiquitates ad ſerui Medici apud Graecos et Romanos conditionem eruendam, Halae 1733.* Adde Cl. IVLII CAROLI SCHLAEGERI *Hiſtoriam litis de Medicorum apud veteres Romanos degentium conditione*, in primis *§ XIII. p. 39. ſeqq. Helmſt. 1740.*

ranti? Et fac etiam, ita eſſe, ſaltim tunc eam artis medicae partem *mutam* et *ignobilem* vocauit, de qua verba hic fiunt. Porro illi, egregie ſe rei conſulturos eſſe, putant, qui ea de cauſſa artem medicam *mutam* autumant vſurpatam, quod Medicus de omnibus ſibi creditis ſilere debeat. Crediderim ſane, in omnibus, artem quamuis exercentibus, immo quibuslibet hominibus, fidem et taciturnitatem virtutem eſſe, et licet haec egregie Medico in primis conueniat[n], tamen artem inde nomen eſſe adeptam, quo cum aliis collata diſtingueretur, omnino dubitamus, idque eo magis, quod hac in re nulla ſcriptorum bonae notae Latinorum fulciamur auctoritate. Hoc idem fere adfirmare videtur Celeberrimus I. H. SCHVLZIVS, Vir numquam ſine honore nominandus, quippe qui Medicam artem *mutae* nomen traxiſſe putat a TELESPHORO et HARPOCRATE, in AESCVLAPII, SERAPIDIsque templo quondam conſtitutis, quippe qui Medicos de ſilentio monerent, et quae ſunt reliqua. Doctiſſimam hanc eſſe, ingenioſisſimamque coniecturam, non poſſumus non confiteri; Vocem vero *mutas* in hoc VIRGILII loco ita explicare, longius repetitum, quod pace eius dixerim, et magis tractum, quam ductum, eſſe videtur. Neſcio ſane, cur omnes hi tam anxie in loco exponendo laborauerint, qui tam planus atque apertus eſt, vt non, niſi Grammatico, in ſcirpo nodum quaerenti, difficilis eſſe posſit. Loquitur VIRGILIVS de Iapyce, illi APOLLINEM ob inſignem amorem dediſſe munus ſibi proprium, augurium, arteſque, citharam, ſiue poeſeos vim, et celeres ſagittas, artem ſcilicet ſagittandi, illum vero, pietate erga patrem commotum, maluiſſe

n) Hinc Graecorum prouerbium πολυθρύλλητον: ἰατρὸς ἀδόλεσχος νοσοῦντι πάλιν νόσος, ortum traxiſſe omnino videtur.

luisse herbarum scire potestates et vsum medendi, et *inglorium* exercere *mutas artes. Mutus* hic nihil aliud significare potest, quam *ignobilis*, *obscurus*, *cuius nulla fama est*, *nec gloria.* Saepius vero res *ignobiliores* atque *indignas* a poetis vocatas fuisse *mutas* et *surdas*, pluribus videre erit apud CASP. BARTHIVM [o]. Confert hic poeta artem medicam cum reliquis, munere, et artibus APOLLINIS, et respectu illorum eam ignobilem vocat, idque, vt hoc magis patefieret, adiungit, Iapycem artes *mutas* exercere maluisse *inglorium* [p]. Quid hoc aliud dictum est, quam eam fuisse Iapycis in *depositum* parentem pietatem, vt, vel neglectis aliis nobilioribus artibus, et praecipue augurandi munere rarissimo, quibus immortale nomen consequi potuisset, maluerit exercere *ignobilem* artem, qua nulla gloria pararetur. Excellentissimum nobis SILIVS ITALICVS, egregius ille VIRGILII imitator [q], suppeditat exemplum, quo vocem *mutus* et *inglorius* coniunxit, vnam alteram explicantem, eadem ratione, vt in nostro VIRGILII loco;

Atque

o) *Aduers. Lib. XVII. cap. 11. p. 874.* et *XIX. cap. 14. p. 957.* ID. ibid. *Lib. XXV. cap. 4. p. 1218.* adhuc aliam curiosiorem suppeditat *mutarum artium* notionem, sed ad hunc nostrum VIRGILII locum minus quadrantem.

p) DANIEL LE CLERC *Hist. de la Medecine Part. I. Liv. I. Chap. 10. p. 35. Les commentateurs de ce Poete sont fort en peine de savoir, pourquoi la Medecine est ici appellée* un art muet. *Elle seroit fort mal nommée, si elle avoit été du tems d' Enée sur le pied, ou elle est aujourdhui; mais alors les Medecins laissoient parler pour eux leurs mains et leurs medicamens. Au tems de* VIRGILE *il n' en étoit pas tout à fait de même, et l' on ne raisonnoit deja que trop. Ie crois, que pour bien expliquer ce passage, il faut supposer, que le mot* mutas *a du rapport à celui de* inglorius, *et que* VIRGILE *a regardé la Medecine comme vn art, qui ne fait pas grand bruit, et qui n' apporte pas vne grande gloire à ceux, qui l' exercent,* cetera.

q) *Punic. Lib. III v. 577. seqq. edit.* ARNOLDI DRAKENBORCH. *Trai. ad Rhen. 1717. p. 173.*

Atque ille, haud vmquam parcus pro laude cruoris,
Et ſemper famae ſitiens, obſcura ſedendo
Tempora agit, mutum *voluens* inglorius *aeuum*
Sanguine de noſtro populus: blandoque veneno
Deſidiae virtus paullatim euicta ſeneſcit.

At clamitant boni Viri [r], VIRGILIVM ita loqui non potuiſſe, quum ſequutus eſſet HOMERVM [s], ſemper artem medicam honore adficientem, heroasque ſuos ob medicam peritiam laudantem, et iniurius ita fieret in artem medicam, quae nobilisſima ſit, et excellentisſima; Non vero anquirimus, quid dicere debuiſſet VIRGILIVS, ſed quomodo vere loquutus eſt. Idne fecerit iure vel iniuria? aliis efficiendum relinquimus, nec res eſt noſtri iudicii [t].

r) DAN. VINK in *lib. cit. Sect. III. Cap. 6. § 4. p. 449.*

s) Vide EVERARD. FEITHII *antiquitates Homericas Lib. IV. Cap. 15.* in IACOBI GRONOVII *Theſaur. Graec. Antiq. Vol. VI. pag. 3713.*

t) CASPAR A REIES, omnibus his enumeratis ſententiis, quaenam ſint, et quo modo refutentur, tandem ipſe, explicationi optime omnium ſe ſubuenturum, putat. Illis itaque acrius traductis, qui *mutus* per obſcurus et ignobilis interpretari audent, plane nouam, ſcilicet, et vix auditam loci ſuppeditat expoſitionem. En tibi diſerta et miranda eius verba: *Dicimus ergo*, VIRGILIVM mutam *dixiſſe medicinam, et illius artificem* inglorium, *non ſimpliciter, et in eam odioſus, nec eo animo, vt medicis conuicium faceret, ſed eo ſolum, quia videret, artem non ſemper finem optatum conſequi,* cet. *quare tunc manet ſcientia* muta, *et non niſi ſilere nouit, quum ſe fine ſuo fruſtrari videat, et ipſe medicus eo tempore obſtupefactus recedat, et* inglorius, *et plaerumque male mulctatus* cet. *in Elyſio iucundarum Quaeſtionum campo, Quaeſt. VII. p. 103. ſeq.* Quaſi vero quaeratur, quo animo et conſilio dixerit poeta artem medicam *mutam*? vt reliqua abſona et ridicula taceam.



SECTIO II.

DE EXPOSITIONE AEGROTORVM IN TEMPLA MEDICINAE PETENDAE CAVSSA SPECIATIM.

§ I.

Expoſitio aegrotorum in templa, et incubatio *generatim demonſtrata. Sacerdotes olim, in primis Aegyptii, artis medicae peritiſſimi. Notatus* H. CONRINGIVS.



Vidimus huc vſque, aegrotos antiquiſſimis temporibus in viis publicis fuiſſe conſtitutos, medicinae a praetereuntibus petendae cauſſa; Nunc eoſdem, ad ſacerdotes confugientes, et in templis collocatos, viſitemus. Apud AEGYPTIOS in primis ſacerdotes, quos prophetas vocabant, rei medicae fuiſſe peritiſſimos, cognoſcere erit ex HELIODORO [u], et praecipue DIOGENE LAERTIO [x], EVRIPIDEM, a ſacerdotibus Aegyptiis curatum, ſic referente: Ἔνθεν τε, ex Italia ſcilicet, a Pythagoricis, PLATO, εἰς Αἴγυπτον παρὰ τοὺς προφήτας· οὗ φασὶν, καὶ Εὐριπίδην αὐτῷ συνακολουθῆσαι, καὶ αὐτόθι νοσήσαντα πρὸς τῶν ἱερέων ἀπολυθῆναι τῇ διὰ θαλάττης θεραπείᾳ. Ὅθεν καὶ εἰπεῖν [y]· Θάλασσα

u) *Aethiop. Lib. III. pag. 156. ſeqq. Edit.* HIERON. COMMELINI, *Lugd. Batau. 1611.* vbi ars medica *pag. 162.* κατ' ἐξοχὴν nominata obſeruatur θεῖα τέχνη.

x) *In Vita Platonis Lib. III. Segm. 6. Edit.* MARC. MEIBOMII, *Amſtelaedami 1692. p. 168.* Vide ISAACI CASAVBONI et TH. ALDROBANDINI notas in hunc locum, item AEGIDII MENAGII *Obſeruatt.* in eumdem *p. 139. ſeqq.*

y) Verſus eſt ex *Iphigenia in Tauris*

σα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακὰ, ἀλλὰ καὶ, καθ' Ὅμηρον, φάναι, πάντας ἀνθρώπους Αἰγυπτίους, ἰατροὺς εἶναι. Quem locum male intellectum falſo interpretatus eſt HERMANN. CONRINGIVS de PLATONE [z], eamque per aquam marinam factam curationem, vti conſueuit, magicam eſſe, putat, id quod egregie, vt quam plurima alia, euertit veris argumentis Vir conſummatae eruditionis, OLAVS BORRICHIVS [a]. Haec vero non tantum facta eſſe a ſacerdotibus, ſed etiam litterarum monimentis conſignata, vt hoc maior iteratae eſſet vſus experientiae, et de oblato aegroto hoc melius ex deſcriptione antea curatorum, vel mortuorum, iudicium ferre poſſent, eſſetne periturus, an non? ita habet HORAPOLLO [b]: Ἱερογραμματέα δὲ, deſignant ſcilicet Aegyptii, ἐπειδὴ ζωὴν καὶ θάνατον οὗτος διακρίνει· ἐστὶ δὲ παρὰ τοῖς ἱερογραμματεῦσι καὶ βίβλος, ἱερὰ καλουμένη Ἀμβρὴς, δι' ἧς κρίνουσι τὸν κατακλιθέντα ἄῤῥωστον· πότερον ζώσιμός ἐστιν, ἢ οὔ, τοῦτο ἐκ τῆς κατακλίσεος ἀῤῥώστου σημειούμενοι. Sed haec, haud ita proprie ad inſtitutum pertinentia, hic obiter tantum adnotaſſe iuuat.

ris 1193. ad quem locum confer, ſis, IOANNIS BRODAEI et IOSVAE BARNESII *notas* in huius EVRIPIDIS *Editione, Cantabrigiae 1694. p. 100.*

z) In libro: *de Hermetica Medicina, Lib. I. Cap. 11. p. 108. Helmeſtadii 1669. edit.*

a) In *Hermetis, Aegyptiorum, et Chemicorum ſapientia, ab* HERMANNI CONRINGII *animaduerſionibus vindicata, Lib. I. Cap. 7. § 9. p. 168. Hafniae 1674. edit.* Confer ibid. quae doctiſſime de curatione morborum per lotionem, aqua marina factam, contra CONRINGIVM diſputat. Adde, quae, de vſu *aquae marinae* in ὑδροφοβίας curatione, habet FRIDERICVS DEKKERS in *Exercitationibus practicis circa medendi methodum, Lugd. Batau. 1694. edit. § X. p. 561. ſeqq.*

b) *Hieroglyph. Lib. I. Cap. 38.* quem in locum digniſſimi ſunt, quos conferas, IOANNES MERCERVS, IOANNES CAVSINVS, et IOANNES CORNELIVS DE PAW.

§. II.

De incubatione *Speciatim. Loca in* Graecia incubatione *clara, fanum* AESCVLAPII Athenienſe, Pergamenum, Epidaurium, Coum, Triccenſe, Achaicum Pellenaeum, *reliqua. Item* SERAPIDIS *templum* Canobicum, *et* PLVTONIS PROSERPINAE*que* aedes, antrum*que* CHARONIVM, *in* Nyſaeis. *Templum* AESCVLAPII Tiberinum, *et* Antiatinum, incubatione *apud* ROMANOS *celeberrimum. Notatus* C. A REIES, *et* H. CONRINGIVS. *Error* B. MARLIANI *et* I. CASAVBONI.

Incubuiſſe quondam veteres in templis et aliorum oraculorum, et medicinae exigendae, et a Diis per ſomnum petendae cauſſa, notiſſima res eſt. Hinc orta eſt loquutio: *incubare Deo* [c]. Sed in praeſentia de *incubatione*, medicinae gratia inſtituta, tantum verba facere certum eſt [d]. Videamus, quorum praecipue Deorum templa apud veteres Graecos atque Romanos maxime ab aegrotantibus viſitata fuerunt, vt ibi *incubantes* per ſomnum ſalutem a Diis repeterent. Ex his ſine dubio AESCVLAPII *fanum* in primis erit nominandum, quippe quod in omnium rerum geſtarum ſcriptorum eſt ore [e]. Ita lepidiſſimus veteris comoediae ſcriptor ARISTOPHANES in fabula, quae inſcribitur PLVTVS, fingit, PLVTVM incubare cum ſeruo in fano AESCVLAPII, et ita paullo poſt a caecitate liberari [f].

XP.

c) PLAVTVS *in Curc. Act. II. Scen. 2. v. 16. incubare ſatius te fuerat Ioui.* Vide ADRIANI TVRNEBI *Aduerſar. Lib. XI. Cap. 7. p. 352.*

d) Vid. HERMANNI CONRINGII *Exercit. de incubatione in fanis Deorum, medicinae cauſſa olim facta, Helmeſtadii 1659.* quam inſeruit *Faſciculo Diſſertationum rariorum de Antiquitatibus ſacris et profanis* Cel. IVL. CAROLVS SCHLAEGER *p. 125. ſeqq. Helmeſtadii 1742.*

e) Vid. *Marmorum Oxonienſium, Arundelianorum, Seldenianorum, ceterorum, Londini 1732. edit. marmor VIII.* et HVMPHRIDI PRIDEAVX *notas in idem marmor p. 473.*

f) *In Plut. Act. II. Scen. 3. v. 410. ſeqq. p. 22.* Vid. CAROLI GIRARDI *notas in h. l.* in *Edit.* LVD. KVSTERI, *Amſtelaedami 1710. p. 31.*

ΧΡ. Μὰ Δί' ἀλλ' ὅπερ πάλαι παρεσκευαζόμην
Ἐγὼ, κατακλινεῖν αὐτὸν εἰς Ἀσκληπιȣ̃,
Κράτιστόν ἐστι.

Et paullo inferius g:

ΧΡ. Ἐγὼ δὲ, καὶ σύ γ', ὡς τάχιστα τὸν θεὸν
Ἐγκατακλινȣ̃ντ' ἄγωμεν εἰς Ἀσκληπιȣ̃.
ΒΛ. Καὶ μὴ διατρίβωμέν γε, μὴ πάλιν τὶς αὖ
Ἐλθὼν διακωλύσῃ τι τῶν πρȣ̃ργȣ ποιεῖν.

Et tandem PLVTVM per hanc incubationem caecitate liberatum esse ab AESCVLAPIO, sic refert h:

ΚΑΡ. Ὁ δεσπότης πέπραγεν εὐτυχέστατα,
Μᾶλλον δ' ὁ Πλȣ̃τος αὐτός. ἀντὶ γὰρ τυφλȣ̃
Ἐξωμμάτωται, καὶ λελάμπρυνται κόρας,
Ἀσκληπιȣ̃ Παιῶνος εὐμενȣ̃ς τυχών.

ARISTOPHANES vero nullo alio consilio huius rei mentionem fecit, quam vt locum inueniret commodum, rem, ciuibus tam sacram, atque religiosam, traducendi, omniumque sibilo exponendi. Paullo enim post i iam citata verba seruum introducit, qui, vna cum PLVTO in AESCVLAPII fano *incubuisse* fictus, omnem herae historiam *incubationis* ita narrat, vt non satis miremur, poetam, licet, maximam, sciamus, veteris comoediae fuisse libertatem, non esse discerptum a populo superstitioso. Sed haec de *Atheniensi* AESCVLAPII *fano* dicta sunto, transgrediamur ad *Pergamenum*. De

g) Ibid. *Act. II. Scen. 6. v. 620. seqq. p. 31.*

h) Ibid. *Act. III. Scen. 1. v. 633. p. 32.*

i) Ibid. *Act. III. Scena 2. tota p. 33. seqq.* C. A REIES, nimio laborantem studio gloriae artis medicae conseruandae, hic ARISTOPHANIS locus mire angit, et vehementer timet, ne artis salutaris laus et honor quid inde capiat detrimenti, ideoque abigendae iniuriae curam sic suscipit, vt sane anceps haeream, sitne ridenda, vel potius miseranda absurdissima rei defensio? *In Elysio iucundarum Quaestionum campo, Quaest. VII. p. 94. seqq.*

hoc HERODIANVS [k]: Ἠπείχθη, ANTON. CARACALLA, εἰς Πέργαμον τῆς Ἀσίας, χρήσασθαι βουλόμενος θεραπείας τοῦ Ἀσκληπιοῦ, ἀφικόμενος δὴ ἐκεῖ, καὶ ἐς ὅσον ἤθελε τῶν ὀνειράτων ἐμφορηθεὶς, ἧκεν εἰς Ἴλιον. *Epidaurium* vero, quod priori dedit originem [l], omnium clarissimum fuit incubatione, sic referente STRABONE [m]: Καὶ αὕτη δ' οὐκ ἄσημος ἡ πόλις, Epidaurus, καὶ μάλιστα διὰ τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ Ἀσκληπιοῦ, θεραπεύειν νόσους παντοδαπὰς πεπιστευμένου, καὶ τὸ ἱερὸν πλῆρες ἔχοντος ἀεὶ τῶν τε καμνόντων καὶ τῶν ἀνακειμένων πινάκων, ἐν οἷς ἀναγεγραμμέναι τυγχάνουσιν αἱ θεραπεῖαι. Καθάπερ ἐν Κῷ τε καὶ Τρίκκῃ. Quibus haec ex PAVSANIA [n] adiicienda sunt: Ἀλικὸς λόγος ἐν στήλαις ἐστὶ ταῖς Ἐπιδαυρίων, αἳ τοῦ Ἀσκληπιοῦ τὰ ἰάματα ἐγγεγραμμένα ἔχουσιν. In celeberrimo hoc *templo Epidaurio* AESCVLAPII lenonem sistit incubantem, sanitatis recuperandae gratia, M. ACCIVS PLAVTVS [o]

- - *hic leno aegrotus incubat*
in AESCVLAPII *fano*,

qui deinceps, spretus ab AESCVLAPIO, de non lato sibi a Deo auxilio ita conqueritur [p]:

Migrare

k) *Historiar. Lib. IV. Cap. 8.* ex *Edit.* IOAN. HENR. BOECLERI, *Argentorati 1694. p. 195.* Confer LAVR. BEGERVM *in Thesaur. Brandenburg. Vol. III. ad numism. in quo Pergameni* AESCVLAPIO *suo Caracallae et Getae salutem commendarunt*, *p. 135.*

l) Vide PAVSANIAM in *Corinthiacis siue Lib. II. Cap. 26. p. 171. seq.*

m) *Geograph. Lib. VIII. edit.* ALMELOVEENII, *p. 575.* Conf. ISAACI CASAVBONI *Comment. ad h. l.* et HIERON. MERCVRIALIS *Variar. Lect. Lib. I. c. 13.* Vide eumdem STRABONEM *in lib. cit. lib. IX. p. 668.*

n) In *Corinthiacis*, *siue Lib. II. Cap. 36. p. 196.*

o) In *Curculion. Act. I. Scen. I. v. 61, 62. Edit.* FRIDER. TAVBMANNI, *Francof. 1621. p. 306.*

p) *Act. II. Scen. I. v. 1. seqq. pag. 323.* Lubens fateor, me, in priori huius libelli editione, id commisisse erroris cum plurimis aliis, vt hunc PLAVTI locum de *Tiberino* AESCVLAPII *templo* explicarem, quum ad *Epidaurium* omnino sit referendus. Omnis enim *Curculionis* fabula non *Romae*, sed *Epidauri*, acta fuisse, fingitur.

Migrare certu' ſt iam nunc e fano foras,
Quando AESCVLAPI *ita ſentio ſententiam:*
Vt qui me nihili faciat, nec ſaluom velit,
Valetudo decreſcit, accreſcit labor.
Nam iam, quaſi zona, liene cinctus ambulo,
Geminos in ventre habere videor filios,
Nihil metuo, niſi, ne medius diſrumpar miſer.

In loco STRABONIS, paullo ante citato, obiter etiam mentionem factam eſſe *fani* AESCVLAPII in inſula *Co* et *Triccae, incubationibus* admodum celebris, cognoſcimus, ſed de illo adhuc ſigillatim haec narrat idem rerum geſtarum ſcriptor q: Ἐν δὲ τῷ προαστείῳ τὸ Ἀσκληπιεῖον ἐστὶ σφόδρα ἔνδοξον, καὶ πολλῶν ἀναθημάτων μεστὸν ἱερὸν, ἐν οἷς ἐστὶ καὶ ὁ Ἀπελλοῦ Ἀντίγονος, et paullo poſt r: Φασὶ δ' Ἱπποκράτην μάλιστα ἐκ τῶν ἀνακειμένων θεραπειῶν ἐνταῦθα γυμνάσασθαι τὰ περὶ τὰς διαίτας. Superſunt etiam alia, et AESCVLAPII, et aliorum Numinum, templa in Graecia, quorum apud ſcriptores paſſim occurrit mentio, quae huc omnia referre et ſigillatim recenſere, nec temporis anguſtia, nec inſtituti ratio, permittit. Propterea haec tantum adhuc ex

PAV-

q) *Lib. XIV. p. 971.*

r) CAI. PLINIVS SEC. *Hiſtor. Natur. Lib. XXIX. Cap. 2. Edit.* P. IO. HARDVINI, *T. IV. p. 663. Tunc eam* (medicinam) *reuocauit in lucem* HIPPOCRATES, *genitus in inſula Coo, in primis clara ac valida, et* Aeſculapio *dicata. Is quum fuiſſet mos, liberatos morbis ſcribere in templo eius Dei, quid auxiliatum eſſet, vt poſtea ſimilitudo proficeret, exſcripſiſſe ea traditur, atque, vt* VARRO *apud nos credit, templo cremato, inſtituiſſe medicinam hanc, quae Clinice vocatur.* Et a STRABONE, et PLINIO, his teſtimoniis adferri ſummam iniuriam HIPPOCRATI, argumento commotus, neſcio quo, vehementer contendit H. CONRINGIVS in *Hermetica Medicina Cap. XI. p. 117.* et in *Diſſertat. de incubatione* ſuperius citata, § *L. ſeqq.* et patronus, non rogatus, cauſſam agit, qua de re iure quodam ſuo eumdem notauit OLAVS BORRICHIVS *in Lib. cit. contra eius Hermeticam Medicinam, Cap. VII. § 12. p. 173.*

PAVSANIA [s] de *Achaico Pellenaeo* commemoraſſe ſufficiet: Ἀπωτέρω δὲ ȣ̓ πολὺ ἀπὸ τȣ̃ Μυσαίȣ ἱερόν ἐςιν Ἀσκληπιȣ̃, καλȣ́μενον ΚΥΡΟΣ, καὶ ἰάματα ἀνθρώποις παρὰ τȣ̃ Θεȣ̃ γίνεται. ὕδωρ δὲ καὶ ἐνταῦθα ἀνέδην ἐςὶ, καὶ ἐπὶ τῇ μεγίςῃ τῶν πηγῶν τȣ̃ Ἀσκληπιȣ̃ τὸ ἄγαλμα ἵδρυται. Et de SERAPIDIS templo, *incubatione* claro, ex STRABONE [t] haec ſubiicere liceat: Ἔχȣσα (Κάνωβος) τὸ τȣ̃ Σαράπιδος ἱερὸν, πολλῇ ἁγιςείᾳ τιμώμενον, καὶ θεραπείας ἐκφέρον, ὥςε καὶ τȣ̀ς ἐλλογιμωτάτȣς ἄνδρας πιςεύειν, καὶ ἐγκοιμᾶσθαι αὐτȣ̀ς ὑπὲρ ἑαυτῶν ἢ ἑτέρων. Συγγράφȣσι δέ τινες, καὶ τὰς θεραπείας, ἄλλοι δὲ ἀρετὰς τῶν ἐνταῦθα λογίων. Quibus tandem ex eodem [u] addimus de templo PLVTONIS et PROSERPINAE [x], *antro*que CHARONIO, per incubationem aegrotorum celeberrimis: Ἐν δὲ τῇ ὁδῷ τῇ μεταξὺ τῶν Τράλλεων καὶ τῆς Νύσης, κώμη τῶν Νυσαίων ἐςὶν ȣ̓κ ἄπωθεν τῆς πόλεως Ἀχάρακα, ἐν ᾗ τὸ Πλȣτώνιον, ἔχων καὶ ἄλσος πολυτελὲς, καὶ νεὼν Πλȣ́τωνός τε, καὶ Κόρης [y], καὶ τὸ Χαρώνιον ἄντρον ὑπερκείμενον τȣ̃ ἄλσȣς, θαυμαςὸν τῇ φύσει· λέγȣσι γὰρ δὴ καὶ τȣ̀ς νοσώδεις καὶ προσέχοντας ταῖς τῶν Θεῶν τȣ́των θεραπείαις, φοιτᾷν ἐκεῖσε, καὶ διαιτᾶσθαι ἐν τῇ κώμῃ πλησίον τȣ̃ ἄντρȣ, παρὰ τοῖς ἐμπείροις τῶν ἱερέων. Οἳ ἐγκοιμῶνταί τε ὑπὲρ αὐτῶν, καὶ διατάττȣσιν ἐκ τῶν ὀνείρων τὰς θεραπείας. Οὗτοι δ᾽ εἰσὶ καὶ οἱ ἐγκαλȣ̃ντες τὴν τῶν Θεῶν ἰατρείαν. ἄγȣσι δὲ πολλάκις εἰς τὸ ἄντρον, καὶ ἱδρύȣσι μένοντες καθ᾽ ἡσυχίαν ἐκεῖ, καθάπερ ἐν φωλεῷ σιτίων χωρὶς ἐπὶ πλείȣς ἡμέρας. ἔςι δ᾽ ὅτε καὶ ἰδίοις ἐνυπνίοις οἱ νοσηλευόμενοι προσέχȣσι, μυςαγωγοῖς δ᾽ ὅμως, καὶ συμβȣ́λοις ἐκείνοις χρῶνται ὡς κὰ ἱερεῦσι· τοῖς δ᾽ ἄλλοις ἄδυτός ἐςιν ὁ τόπος, καὶ ὀλέθριος.

s) *In Achaicis, ſiue Lib. VII. c. 27. Edit.* IOACHIMI KVHN *p. 596.*

t) *Geograph. Lib. XVII. p. 1152.*

u) *Id. ibid. Lib. XIV. pag. 960. ſeq.*

x) Vid. EZECH. SPANHEMIVM in *Epiſt. ad* ANDREAM MORELLIVM *p. 112. 113.*

y) T. I. AB ALMELOVEEN emendationem, veri maxime ſimilem ſequuti, Κόρης pro Ἥρας legere malimus. Vid. STRABONIS *Edit. eiusd. p. 960 not. 7.*

ὀλέθριος. Ex quibus STRABONIS locis, iam citatis, etiam id, quod curiosissimum, notatuque dignissimum, apparet, aegrotos non tantum pro se ipsos, sed sacerdotes etiam pro iisdem, incubuisse.

Nunc transeamus ad ROMANOS, et ibi *fana* AESCVLAPII consideremus. Quum Roma trienni vastaretur pestilentia, oraculorum Sibyllinorum suasu AESCVLAPIO, sub anguis, sibi dicati et proprii [z], forma, ex Epidauro Romam arcessito, et in insula Tiberina collocato, fanum ibidem exstructum fuit, quod fusius enarrat VALERIVS MAXIMVS [a]. Ex quo simul loco docemur, etiam *Antii*, in Latinorum portu, diei itinere ab vrbe distanti, quod putat PROCOPIVS, *aedem* fuisse AESCVLAPII, eiusdemque hospitio *anguem* in itinere vsum [b].

In templum illud *Tiberinum*, non in nosocomium, quod BARTHOLOMAEVS MARLIANVS putat [c], et quod iuxta hoc tem-

z) Vide EZECHIEL. SPANHEMII *notas in* PLVTI *Act. III. Scen. 2. v. 733. p. 262.*

a) *Lib. I. Cap. 8. n. 2. Edit.* ABRAHAMI TORRENII, *Leid. 1726. p. 94.* Vid. ibid. PERIZONII *not. 29. p. 96.* Ibi nunc BARTHOLOMAEI est templum, de qua re, et caussis, cur templum AESCVLAPII extra vrbem exstructum fuerit, vide, sis, BARTHOLOMAEVM MARLIANVM, in *Vrbis Romae Topographia, cum notis ineditis* FVLVII VRSINI, quae est in GRAEVII *Thes. Rom. Antiq. Vol. III. p. 54. Cap. 16. p. 183.*

b) Conf. ORTELII et MARLIANI *notas ad hunc locum* in eiusd. *Edit. c. not. var. ex rec.* A. THYSII, *Lugd. Bat. 1660. p. 103. seq.*

c) In *lib.* paullo ante cit. Erraueritne vero BARTHOL. MARLIANVS, adfirmans, hos seruos, quorum fit mentio apud SVETONIVM, potius in nosocomium, quod postea pietas Christianorum exstruxit, quam templum AESCVLAPII, fuisse expositos, vel contra, cognosci poterit ex OLAI BORRICHII *Antiqua Vrbis Rom. Facie*, in GRAEVII *Thes. Antiq. Rom. Tom. IV. p. 1610.*

templum exstructum adserit, fuisse translatos seruos, quorum fit mentio expositorum in SVETONIO[d], adfirmare nulli dubitamus: *Quum quidam aegra et affecta mancipia in insulam* AESCVLAPII, *taedio medendi, exponerent, omnes, qui exponerentur, liberos esse sanxit, nec redire in ditionem domini, si conualuissent: quod si quis necare quem mallet, quam exponere, caedis crimine teneri.* Ex hoc SVETONII loco omnino clarum fit, etiam apud ROMANOS in fanis Deorum expositos fuisse aegrotos, in primis quorum de salute desperarent. Nescio sane, quam diram immanitatem extorquere velit CASAVBONVS[e] ex re, quam veteres optimo consilio fecisse constat, vt scilicet Deo curandos offerrent, quorum vitae ipsi diffidebant?

§ III.

Obseruanda et peragenda ante incubationem: Ieiunium, sacrificia, lotio ex aqua marina. Aries AESCVLAPIO *sacer.* Incubatio *in pellibus.* *Variae somniorum species.*

Incubaturi vero peragebant quam plurima ante, quam id facere adgrederentur, quibus, Numina propitia reddi, et ad mittenda somnia salutaria incitari, sibi persuadebant. *Abstinebant*, exempli caussa, per aliquot dies *a cibo et potu*, vt scilicet ad commercium cum Diis hoc digniores accederent, id quod iam recensito loco pluribus docet saepius laudatus STRABO. *Sacra* etiam *faciebant*, *arietibus* vel *ouibus immolandis*, quip-

d) In *Lib. V.* TIB. CLAVDIO CAESAR. *Cap. 25. p. 468.*

e) In notis ad h. l. *in Edit.* I. G. GRAEVII *p. 468. Antiquorum haec fuit dira immanitas, vt et recens natos infantes liceret tollere, vel exponere ad caedem, et liberos aut seruos aegrotos exponere taedio curandi.* Sed longe alia esse videtur illa expositio liberorum, de qua cautum in *Cod.* THEODOSIANI *Tom. I. Lib. 5. Tit. 7. de Expositis, p. 487. seq. Edit.* Ill. IOAN. DAN. RITTERI, *Lipsiae 1736.* Adde PETRI PETITI *Miscell. Obseruatt. edit. Trai. ad Rhen. 1682. Lib. III. Cap. 16. p. 183.*

quippe quorum pellibus ſubſtratis incubabant, et vel hac de re, ſibi Deos non defuturos eſſe, certo confidebant. Prius diſerte docet PAVSANIAS[f]: Καὶ πρῶτον μὲν καθήρασθαι νομίζουσιν ὅστις ἦλθεν Ἀμφιαράῳ χρησάμενος. Ἔστι δὲ καθάρσιον, τῷ θεῷ θύειν. θύουσι δὲ καὶ αὐτῷ καὶ πᾶσιν ὅσοις ἐστὶν ἐπὶ ταυτὸ τὰ ὀνόματα. Προεξειργασμένων δὲ τούτων, κριὸν θύσαντες αὐτῷ, καὶ τὸ δέρμα ὑποστρωσάμενοι καθεύδουσιν ἀναμένοντες δήλωσιν ὀνείρατος. Alterum elegantiſſime deſignat VIRGILIVS[g]:

Hinc Italae gentes omnisque Oenotria tellus
In dubiis reſponſa petunt: huc dona ſacerdos
Quum tulit, et caeſarum ouium *ſub nocte ſilenti*
Pellibus incubuit ſtratis, *ſomnosque petiuit.*

Qui factum fuit, vt pellibus ſtratis incubarent, in praeſentia noſtrum, amplius perquirere, non eſt, alioſque [h] videre omnino praeſtabit, qui hanc rem pluribus expoſuerunt. Immo ad peragenda ante *incubationem* id etiam pertinuiſſe, vt, medicinam per ſomnium petituri, *ex aqua lauarentur marina,*

 veri

f) In *Atticis*, ſiue *Lib. I. Cap. 34. p. 84. Edit.* I. KVHNII. Qua de cauſſa hic arietes adhiberentur? divinare licebit, ſi coniecturae RAPHAEL. FABRETTI de HYGIA, arieti inſidente, fidem habere velimus. Vide GISBERTI CVPERI *Monimenta Antiqua Inedita, pag. 199.* Confer, quae de ariete, AESCVLAPIO ſacro, eruditiſſime ad gemmam, ſalutis ſacrificium ſiſtentem, eſt commentatus LAVR. BEGERVS in *Theſauro Brandenburgico Vol. I. pag. 69.*

g) *Aeneid. Lib. VII. v. 85.* Vid. TAVBMANNI nota ad hunc locum, in *Edit.* IAC. EMMENESSII *Tom. III. p. 23.*

h) Confer IOANNES BAPTISTA PIVS in *Annot. poſt. Syllog. III. cap. 10.* item ALEXANDER AB ALEXANDRO *Dier. Genial. Lib. III. Cap. 26. p. 129.* IOANN. MEVRSIVS *in Comment. ad* LYCOPHRONIS *Caſſandr. v. 1050. Ed. Oxon.* POTTERI *1697. p. 88.* I. BRAVNII *Comm. de Veſtitu Sacerdotum Hebr. Amſtelod. 1701. Lib. I. § 68. 69. p. 75. ſeq.* IOAN. ALSTORPHII *Diſſert. Philol. de Lectis veterum, Amſtelod. 1704. Cap. V. de more dormiendi in pellibus, et Cap. XI. de lectorum vſu extraordinario.*

veri ſaltim ſimile eſſe videtur ex hoc ARISTOPHANIS loco [i], vbi ſeruus PLVTVM ante, quam in AESCVLAPII *fano* incubaret, *aqua marina abſterſum*, ita narrat:

ΚΑΡ. Ὡς γὰρ τάχιστ' ἀφικόμεθα πρὸς τὸν θεὸν
Ἄγοντες ἄνδρα, τότε μὲν ἀθλιώτατον,
Νῦν δ', εἴ τιν' ἄλλον, μακάριον κ' εὐδαίμονα,
Πρῶτον μὲν αὐτὸν ἐπὶ θάλατταν ἤγομεν.
Ἔπειτ' ἐλοῦμεν - - - - - - -
- - - - - - - - - - - -

ΚΑΡ. Ἔπειτα πρὸς τὸ τέμενος ἦμεν τοῦ θεοῦ.

Petituri vero per ſomnum Deorum conſilia vel ipſi *incubabant*, vel ſacerdotes id pro illis faciebant, et codicillis obſignatis, quibus inſcripta, quae peterentur, erant, ſuppoſitis *incubabant*, et ſomnia capiebant. Cuius ritus ſpeciatim, et generatim omnis huius oraculi nocturni, inuentionem abſolute nimis Alexandro impoſtori adſignare videtur LVCIANVS [k], licet eius rei iam antiquiora exſtent veſtigia [l]. Tunc tandem

i) In PLVTO *Act. III. Scen. 2. v. 653. ſeqq. p. 33.* Vid. *Schol. antiq. ad h. l.* ibid. CAROLI GIRARDI *notas in h. l. p. 36.* et *eaſdem* EZECHIEL. SPANHEMII *p. 260.* Adde, quae paullo ante in *hac Sect. § I. not. y. p. 26. ſeq.* fuſius *de aqua marina* diſputauimus.

k) In PSEVDOM. *Edit.* IOAN. G. GRAEVII, *Amſt. 1687. Tom. I. p. 776. ſeqq.* ad quem locum conf. ANTON. VAN DALEN *de Oraculis Ethnicorum Diſſert. I. Amſtelod. 1700. Cap. II.* et IAC. SPON *Recherches curieuſes d'antiquité trente vnieme Diſſertation ſur l'hiſtoire du faux prophete Alexandre de Lucien, illuſtrée par les medailles.* De *incubatione*, in templis facta, oraculorum a Diis petendorum cauſſa, et iis, quae tum ibi obſeruata fuerunt, vid. IACOBVM GVTHERIVM *de Veteri Iure Pontificio Lib. IV. Cap. 1. p. 174. in* I. G. GRAEVII *Theſaur. Ant. Rom. T. V.* et THOM. DEMPSTERVM *in Paralip. ad* IOAN. ROSIN. *Antiq. Rom. Lib. II. Cap. 2. p. 87. ſeqq.*

l) Vid. PAVSAN. *in Atticis, ſiue Lib. I. Cap. 34. p. 84. Edit. cit.* Et STRABON. *Geogr. Lib. XIV. p. 961.*

dem illis *incubantibus* varia ſe offerebant ſomnia, quod ſaltim ſibi perſuadebant, et videbant, vel res ipſas ſibi euenturas, vel earum tantum imaginem quamdam et ſymbolum, vel Deos ipſos, illis oracula per ſomnum edentes. Priorem ſpeciem, vbi ſcilicet res ipſae perſpicue admodum exhibentur, vocant ὅραμα, et nonnulli etiam θεωρηματικὸν; ſi res futurae per ſolam figuram, vel ſymbolum aliquod aliud in ſomno repraeſentantur, ὄνειρον adpellant ἀλληγορικὸν; ſi vero tandem Dii ipſi, vel alia ſpecie, quam ſumebant, viſionibus colloquiisque nocturnis homines dignabantur, χρηματισμὸς dicitur [m]. Singula ſingulorum ſuppeditant exempla. Sic eiuſmodi ὅραμα vel ὄνειρος θεωρηματικὸς fuit, quo mulieri cuidam curatio ὑδροφοβίας per ſilueſtris roſae radicem oblata per ſomnum fuit, fuſius id exponente PLINIO [n]; Ὄνειρος vero ἀλληγορικὸς, vel viſio figurata, vt ita dicam, fuit, quum mulier quaedam, graui mammae inflammatione laborans, per ſomnum, ſibi mammam ab oue exſugi videret, indeque ſibi herbam ἀρνόγλωσσον, Latinis *plantaginem*, profuturam colligeret; de qua quidem re ſic eſt apud ARTEMIDORVM [o]: γυνὴ ἔδοξε περὶ μαζὸν φλεγμονὴν ἔχουσα, ὑπὸ προβάτου θηλάζεσθαι, ἀρνόγλωσσον βοτάνην καταπλασσαμένη ἰάθη. διὰ τὸ τοῦ αὐτοῦ ὄνομα σύνθετον ἐδήλου τὴν τοῦ ἀρνογλώσσου βοτάνην. De Numine, per ſomnum dormientibus apparente, ipſoque ferente auxilium aegrotantibus, exemplum ſuppeditat AELIANVS [p], qui lepidiſſimam de Aſpa-

 ſia

m) IOANN. POTTER. in *Archaeol. Graec. Lib. II. Cap.* 2. *de Graecorum Diuinatione et Oraculis in genere*, in IAC. GRONOVII *Theſaur. Antiqu. Graec. Vol. XII. Part. II. p.* 268. Conf. IAMBLICH. *de Myſteriis Aegyptiorum Sect. III. Cap.* 2. *Edit. Oxonienſ.* THOMAE GALE, et *not. in h. l.*

n) *Hiſt. Nat. Lib. XXV. Cap.* 2.

o) In *Oneirocrit. Lib. IV. Cap.* 24. *Edit.* NICOLAI RIGALTII, *p.* 215.

p) *Hiſt. var. Lib. XII. Cap.* 1. ibi vide, ſis, IAC. PERIZONIVM.

ſia quadam, tumore menti laborante, et poſt, quam a medicis neglecta fuiſſet, ab ipſa Venere per ſomnum curata, narrat hiſtoriam. Sed de his iam dicta ſufficiant, fuſius, vel magis confuſius, enarrata qui ſcire cupit, adeat VINKIVM q), ſtrenuum locorum ex ſcriptoribus ſine diſcrimine, et haud raro importune, immo inepte, corraſorum gerulum.

§ IV.

Exemplo ſomniorum, medicamenta extra incubationem *offerentium.* M. ALEXANDRI *ſomnium fictum.* VESPASIANI *miraculum ſimulatum. Notatus* I. CASAVBONVS, SVETONIVS *explicatus.* ADRIANI *miraculum non verum.*

Nunc, ad ea explicanda accedamus, oportet, quae incubantibus, poſt ſanitatem a Diis per ſomnium, vel oraculum nocturnum reſtitutam, peracta fuerunt. Antea vero, quam id agere adgrediamur, animi cauſſa, digredi paullulum libet ad eiuſmodi *ſomnia medica*, ea vero ita vocare liceat, in quibus morbo monſtrata medicina, quae extra incubationem paſſim huic, vel illi, obuenerunt. Ita MAGNI ALEXANDRI ſomnium, CVRTIO r) ſic referente, habemus: *Et proelio, et ſollicitudine fatigatus* (Alexander), *quum Ptolemaeo* (ſaucio laeuo humero) *adſideret, lectum, in quo ipſe adquieſceret, iuſſit inferri. In quem vt ſe recepit, protinus altior inſequutus eſt ſomnus. Ex quo excitatus, per quietem vidiſſe ſe, exponit, ſpeciem draconis oblatam, herbam ferentis ore, quam veneni remedium eſſe monſtraſſet; Colorem quoque herbae referebat, agniturum, ſi quis reperiſſet, adfirmans, inuentamque deinde, quippe a multis erat requiſita, vulneri impoſuit: protinusque, dolore finito, intra breue ſpatium*

q) In *lib. cit. Sect. I. Cap. 5. p. 61. ſeqq.*

r) *Lib. IX. cap. 8.* Vide elegantiſſima, quae congeſſit ad hunc locum IOAN. FREINSHEMIVS, in *Edit.* HENRICI SNAKENBVRG. *Delphis et Lugd. Bat.* 1724. *pag.* 728. *ſeq.*

ſpatium cicatrix quoque obducta eſt [s]. Sed tantum abeſt, vt, vere hanc herbam M. ALEXANDRO per ſomnum monſtratam fuiſſe, credamus, vt potius cognitum atque perſpectum habeamus, haec a Principe eo conſilio eſſe ficta, vt remedio, ab artis medicae perito procul dubio ſibi commendato, tanto maiorem, ceu diuino, conciliaret auctoritatem. Huc accedit, M. ALEXANDRVM ſemper et vbique diuini quid adfectaſſe, quum ſe a Ioue prognatum, et ſibi ipſe, et omnibus aliis perſuadere vellet. Noſtram vero coniecturam egregie corroborat STRABO [t], eamdem fouens ſententiam: Τρωθέντα δὲ, inquit, Πτολεμαῖον, κινδυνεύειν· (ἔφασαν ſcilicet) ἐν ὕπνῳ δὲ παραστάντα τινὰ τῷ Ἀλεξάνδρῳ, δεῖξαι ῥίζαν αὐτόπρεμνον, ἣν κελεῦσαι τρίβοντα ἐπιτιθέναι τῷ τρωθέντι. ἐκ δὲ τοῦ ὕπνου γενόμενον, μεμνημένον τῆς ὄψεως, εὑρεῖν ζητοῦντα τὴν ῥίζαν πολλὴν πεφυκυῖαν. καὶ χρήσασθαι, καὶ αὐτὸν, καὶ τοὺς ἄλλους. ἰδόντας δὲ τοὺς Βαρβάρους εὑρημένον τὸ ἀλέξημα, ὑπηκόους γενέσθαι τῷ βασιλεῖ. εἰκὸς δέ, τινα μηνύσαι τῶν εἰδότων. τὸ δὲ μυθῶδες προσετέθη κολακείας χάριν [u]. Apud rerum geſtarum ſcriptores varia occurrunt exempla, quibus, quoſdam per ſomnium monitos fuiſſe, produnt, vt morbo auxilium ab iis, penes quos eſſet ſumma imperii, peterent. Eiuſmodi quidquam narrat SVETONIVS [x]: *Auctoritas*

s) Eamdem herbam et Ptolemaeo, et aliis militibus, egregium praeſtitiſſe vſum, non vero externe adplicatam, ſed ore adſumtam, narrat IVSTINVS *Lib. XII. Cap. 10. 3.* Conf. ADRIANI TVRNEBI *Aduerſar. Lib. V. Cap. 19.*

t) *Geogr. Lib. XV. p. 1052. ſeq.*

u) Eamdem fere habet DIODORVS SICVLVS *Lib. XVII. p. m. 570.* hiſtoriam, mutatis tamen pluribus circumſtantiis, diſerte adſerens, plantam et externe adplicatam, et ore adſumtam, Ptolemaeo fuiſſe ſalutarem.

x) In *Lib. VIII.* TIT. FLAV. VESPASIANO, *Cap. 7. p. 632.* Eadem, ſed paullo immutata, etiam refert C. CORN. TACITVS *Hiſt. Lib. IV. Cap. 81.* qui et rei fidem ipſe habere videtur. Conf. ibid. LVPANI notam, *Ed.* IAC. GRONOV. *p. 540.*

ctoritas et quasi maiestas quaedam, vt scilicet inopinato et adhuc nouo Principi (TITO FLAVIO VESPASIANO scilicet) *deerat: haec quoque accessit: E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, sedentem pro tribunali, pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonstratam a Serapide per quietem: restiturum oculos, si inspuisset: confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere. Quum vix fides esset, rem vllo modo successuram, ideoque ne experiri quidem auderet, extremo hortantibus amicis, palam pro concione vtrumque tentauit, nec euentus defuit.* ISAACVS CASAVBONVS [y]: *Agnoscis*, inquit, *pie lector, falsam imitationem miraculorum Christi. Sic solitus hominibus illudere ὁ δαίμων.* Vix crediderim, haec profecta esse a daemone quodam malo, hominibus illusuro, nec est, quod rei explicationem altius repetamus, praecipue, quum eadem in disertis SVETONII verbis ipsa satis luculenter sit posita. Dicit nempe SVETONIVS, inopinato et adhuc nouo Principi defuisse auctoritatem et quasi maiestatem. Quidni igitur potius credamus, hos aegrotos, quorum sit mentio in loco SVETONII, non vere laborasse, sed potius ab Imperatoris amicis pecunia, vel alio modo, fuisse corruptos, vt morbum simularent, et publice ab Imperatore opem exigerent, quam a Diis per somnum fingerent monstratam? Quid melius, quid accommodatius, quaeso, hac re excogitari potuit, ad corroborandam summo opere Principis auctoritatem et maiestatem? tunc sane a populo creditus procul dubio fuit, a Diis ipsis electus et datus, quippe quem suo dignarentur commercio, cuique miraculorum, quae videbantur, faciendorum, potestatem concederent. Huc accedit, amicos Caesarem, vel vere, vel per speciem, non audentem, extremo

y) In *notis ad h. l. Ed.* I. G. GRAEVII, *p. 632.*

tremo hortatos fuiſſe, vt faceret, quaſi rei exoptatum euentum iam cognitum atque perſpectum haberent [z]. Idem fere exemplum refert SPARTIANVS [a]: *Venit de Pannonia quidam natus caecus ad febrientem* ADRIANVM, *eumque contigit: quo facto, et ipſe oculos recepit, et* ADRIANVM *febris reliquit: quamuis Marius Maximus, haec per ſimulationem facta, commemoret.* Quod et mihi ipſi, artificiis ita factum fuiſſe, nullo negotio perſuadebitur [b].

§ V.

Obſeruata et peracta poſt incubationem. *Dona, Diis pro recuperata ſanitate oblata,* donaria *dicta.* Veſtes. Aurum *vel* Argentum ſignatum. I. P. TOMASINI *error.* Tabulae votiuae *varii generis. Notatus* IANVS BROCKHVSIVS, *et* TOMASINVS *iterum lapſus.*

Tandem, ea perſequamur, neceſſe erit, quae a conualeſcentibus, poſt recuperatam, per *incubationem*, ſanitatem, facta fuerunt, vt Diis Seruatoribus gratias et agerent, et referrent. Generatim a morbis liberatos Diis aliquid conſecraſſe, beneficentiae eorum remunerandae cauſſa, ex HIPPOCRATIS loco [c] clarum fieri videtur, vbi de virginibus, a furore vterino liberatis, loquitur: Φρονησάσης δὲ τῆς ἀνθρώπȣ, τῇ Ἀρτέμιδι αἱ γυναῖκες ἄλλά τε πολλὰ, ἀλλὰ δὴ καὶ τὰ πολυτελέϛατα ΤΩΝ ἹΜΑΤΙΩΝ καθιερȣ̃σι τῶν γυναικείων, κελευόντων τῶν μαντεῶν, ἐξαπατεώμεναι. Sigillatim vero oraculi conſilio refectos,

z) Eamdem nobiscum hoc de miraculo VESPASIANI fouet ſententiam THOM. BARTHOLINVS in *Miſcellaneis Medicis de Morbis Biblicis, edit. Francofurti 1705. XX. Caecus luto curatus p. 51. ſeq.*

a) In ADRIANO CAESARE, *Cap. XXV.* Conf. CLAVD. SALMASIVM, et IANVM GRVTERVM ad h. l. in *Edit. Scriptor. Hiſtor. Auguſt. c. not. var. Lugd. Batau. 1671.*

b) Conf. IAQVES SERCES *Traité ſur les miracles p. 276 ſeqq.*

c) Περὶ Παρθενίων, *Edit.* LINDENII, *Tom. II. p. 357. § 2.*

ctos, in quibus praecipue *incubantes* numeramus, Diis *aurum*
vel *argentum signatum* dedicasse, elucet ex PAVSANIA [d], sic
de Graeciae gente, *Oropiis*, referente: Ἔστι δὲ Ὠρωπίοις πηγὴ
πλησίον τοῦ ναοῦ, ἣν Ἀμφιαράου καλοῦσιν, οὔτε θύοντες οὐδὲν ἐς αὐτὴν, οὐδ'
ἐπὶ καθαρσίοις ἢ χέρνιβι χρῆσθαι νομίζοντες. Νόσου δὲ ἀκεσθείσης ἀν-
δρὶ μαντεύματος γενομένου, καθέστηκεν ἄργυρον ἀφεῖναι καὶ χρυσὸν ἐπί-
σημον ἐς τὴν πηγήν. Ad eamdem rem adlusisse LVCIANVM [e],
ludicra varia per iocum de miraculis statuae Pelichi, Ducis
Corinthii, enarrantem, ex his fusius cognoscere erit: Πολ-
λοὶ ἔκειντο ὀβολοὶ πρὸς τοῖν ποδοῖν αὐτοῦ, καὶ ἄλλα νομίσματα ἔνια
ἀργυρᾶ πρὸς τὸν μηρὸν, κηρῷ κεκολλημένα, καὶ πέταλα ἐξ ἀργύρου,
εὐχαί τινος, ἢ μισθὸς ἐπὶ τῇ ἰάσει, ὁπόσοι δι' αὐτὸν ἐπαύσαντο πυ-
ρετῷ ἐχόμενοι. Sed et alii erant complures gratiarum Diis re-
ferendarum modi. Ita, exempli caussa, *tabulas* templi parieti-
bus, vel aliis locis [f], adpendebant, vel, si marmoreae essent,
ipsis illis inserebant *votiuas*, quod contendit IACOB. PHI-
LIPP.

d) In *Atticis*, *siue Lib. I Cap. XXXIV. p. 84.*

e) In PHILOPSEVDE, *Ed.* GRAEVIAN. *T. II. p. 340. seqq.* Nescio, qui fiat, vt I. P. TOMASINVS, in *Lib. de Donar.* in GRAEVII *Thes. Rom. Ant. Tom. XII. p. 867.* se scire, neget, quam significare voluerit LVCIANVS statuam, et, longe aliam esse, falso adfirmet: *Plene profecto et curiose omnia, quae ad superstitionis ritum spectant; quaenam ea tamen fuerit, nulla mentio. Febris fuisse, haud dixerim, quum solis Romanis ea in honore esset: quin potius* AESCVLAPII *aut* HYGIAE, *cuius venerationem a Graecis institutam in confesso est.* Quum tamen id edoceant clara LVCIANI verba, eaque admodum diserta, quae haec nostra citata paullo antecedunt. Conf. I. CASAVBONVM ad locum SVETONII in OCTAV. CAESARE AVGVSTO, vbi de stipe, ex voto pro Caesaris salute in lacum Curtii ab omnibus ordinibus coniecta, loquitur. *Edit.* GRAEV. *p. 212.*

f) Vid. IAC. GVTHERII *de veteri Iure Pontificio Lib. III. Cap. 9.* in GRAEVII *Thesaur. Rom. Antiq. Tom. V. p. 135.* et IOAN. GODOFR. LAKEMACHERI *Antiq. Graec. Sacr. Cap. VII. § 24. seqq. de* Donariis.

LIPP. TOMASINVS[g], quae *pictae* erant, vel *ſcriptae*, vel *vtrumque*, vel columnis inſcribebant et morbum, et eius curationem. In *pictis* exprimebant membri, antea laborantis, nunc vero opera diuina refecti, figuram. Hoc videre erit ex monimento, quod ibidem[h] ſiſtitur, in quo variae corporis humani partes egregie expreſſae conſpiciuntur, et elucebit etiam eximie ex hoc Priapeio carmine[i], vbi *tabula votiua* illa ſcite nomine *memoris tabellae* inſignitur:

Cur pictum memori *ſit in* tabella
Membrum, quaeritis, vnde procreamur.
Quum penis mihi forte laeſus eſſet:
Chirurgique manum miſer timerem:
Diis me legitimis, nimisque magnis,
Vt Phoebo, puta, filioque Phoebi,
Curatum dare mentulam verebar.
Huic dixi, fer opem, Priape, parti,
Cuius tu, pater, ipſe par videris:
Qua ſalua ſine ſectione facta,
Ponetur tibi picta, quam leuaris,
Parque, conſimilisque concolorque,
Promiſit fore, mentulamque mouit
Pro nutu Deus, et rogata fecit.

Pulcerrima eiuſmodi γειρεργία, quam ad *pictas* referre licebit, adhuc Romae exſtat[k], vbi ſcilicet figura binarum plantarum pedis, adſcriptis litteris H. D. candido marmori

F 2 in-

g) *De Donariis veterum, Cap. VII. p. 785.*

h) *Lib. cit. Cap. II. p. 754.*

i) *XXXVII.* vid. *ibi comment.*

k) In *cit. libr.* TOMASINI *Cap. VII. p. 788.*

insculpta inuenitur, quod monimentum a quodam, pedibus laborante, post recuperatam sanitatem, HYGIAE consecratum fuisse, cum doctis quibusdam viris adfirmare, nulli dubitamus. Porro etiam in eiusmodi *tabellis votiuis pictis* expressas fuisse imagines eorum, qui morbo conualuerant, clarum fiet omnino ex loco STRABONIS[l], superius paullo adlato, qui, vbi de *Asclepieo*, in Graeciae quodam loco, admodum celebri plurimis *tabulis votiuis*, loquitur, mentionem facit imaginis Antigoni, ab Apelle depictae, quae ibidem etiam obueniat. Haec de *pictis* tantum dicta sunto. Consideremus iam paullo curiosius *scriptas tabellas votiuas*, cuiusmodi fuerint conditionis. Hae rursus in varias diuiduntur species, quarum vna est, *in quibus tantum nomen Dii, vel Deae, vel vtriusque, cuius beneficio quis conualuerat, conspicitur, adiecta gratiarum actione.* Inter alias eiusmodi quam plurimas digna est in primis, quae hic adferatur ex IANO GRVTERO[m]:

ISI. SACR
L. MAGIVS
PHILEAS. VI. VIR
AQVIL. OB
SALVT. GRATTIANI
FILII. ET GRATTIAE

Et

l) *Huius Dissert. Sect. II.* § 2. *p.* 31.

m) In *Thesaur. Inscript. ex recens.* I. G. GRAEVII, *Amstelod.* 1707. *edit.* *Tom I. Part. I. p.* LXXXII. *n.* 6.

Et haec ex THOMA REINESIO[n]:

ISIDI. ET. SERAP
SACRVM
EX. VOTO
PRO. FILIOLI. SALVTE
SVSCEPTO
SAVRANA. FECIT

Tabularum votiuarum ſcriptarum altera ſpecies haec eſt, *in quibus et Numinis Seruatoris nomen adſcriptum eſt, et morbus nominatus*, quo quis antea laborauerat. Huius peregregium exemplum ſuppeditat IOAN. PIERIVS VALERIANVS[o]:

AESCVLAPIO
ET. HYGIAE. CE
TERISQ. HVIVSQ
LOCI. SALVTARIB
C. IVL. FRONTO
NIANVS. VET. EX
B. F. COS. LEG. V. M. P
REDDITIS. SIBI. LVMI
NIBVS. GRAT. AGE. EX
VISO. PRO. SE. ET. CARTEIA
MAXIMA. CONIVG. ET. IVL.
FRONTINA. FILIA
V. S. L. M

 Porro

n) In *Syntagmate Inſcriptionum, Claſſ. I. 132.*

o) De *Flauiorum nobilitate, et antiquis in agro Bellunenſium memoriis*, adiunctis eiuſdem *Hieroglyphicis, Francof. ad Moen. 1678. edit. ſerm. IV. p. 113.* Conf. hanc inſcriptionem, ſed valde immutatam, in I. GRVTERI *Theſauro Inſcr. Tom. I. P. I. p. LXVII. n. 9.* Addi his poſſunt ſimiles aliae inſcriptiones, quas ex T. REINESIO, et I. SPONIO adduxit et collegit A. VAN DALEN *de Orac. Ethnic. Diſſ. I. Cap. XI. p. 243. ſeq.*

Porro *tabulae* etiam dantur *votiuae ſcriptae*, *nominibus conualeſcentium adpoſitis, in quibus et morbi hiſtoria, et medicina, qua quis curatus fuerat*, *enarrata* conſpiciuntur. Huius conditionis monimentorum, et quidem columnarum ſingularium, quibus haec inſcripta fuerint, facit mentionem generatim PAVSANIAS[p]: Στῆλαι δ' εἱστήκεσαν ἐντὸς τȣ̃ περιβόλȣ, τὸ μὲν ἀρχαῖον καὶ πλέονες, ἐπ' ἐμȣ̃ δὲ ἓξ λοιπαί. Ταύταις ἐγγεγραμμένα καὶ ἀνδρῶν, καὶ γυναικῶν ἐστιν ὀνόματα ἀκεσθέντων ὑπὸ τȣ̃ Ἀσκληπιȣ̃, προσέτι δὲ καὶ νόσημα, ὅτι ἕκαστος ἐνόσησε, καὶ ὅπως ἰάθη. Γέγραπται δὲ φωνῇ τῇ Δωρίδι. Sed ſpeciatim excellentiſſimam eiuſmodi tabulam marmoream, quae olim in templo Aeſculapii Tiberino adfixa dicitur, et quae vna ex omnibus illis huius generis, quod quidem ſcimus, tulit aetatem, vidit, et ex METELLI autographo deſcripſit SMETIVS, Romae apud BERNARDINVM MAFFEVM, Cardinalem, olim conſeruatam, cuius elegantiſſimae et delineationem, et vberiorem explicationem paullo inferius, in tertia ſcilicet huius Diſſertationis parte, ſumus oblaturi. Ex his itaque adparet, quam egregie fallatur[q] IAN. BROCKHVSIVS, hoc ferens iudicium: *Igitur de morborum et remediorum commemoratione ac deſcriptione res eſt perimbecilla. Iuuat nos lapidum inſcriptorum fides.* Quo modo cumque enim explicemus, *res eſt perimbecilla*, vel credamus, eumdem dicere voluiſſe, non ſatis conſtare, eiuſmodi fuiſſe monimenta, vel, ſi etiam fuerint, in illis commemorata morborum remedia, non fuiſſe adcommodata et adpoſita, eumdem erraſſe elucebit, et ex pluribus inferius dicendis clarius fiet, vbi ſcilicet inſcriptionum illarum quatuor,

p) In *Corinthiacis*, *ſiue Lib. II. Cap. XXVII. p.* 173. Conf. STRAB. in *Lib. VIII.* et *XIV. p.* 971.

q) In *notis ad* TIBVLLI *Lib. I. Eleg. III. v.* 28. *p.* 60. *Amſtelod.* 1707. *edit.*

tuor, marmori insculptarum, vberiorem sumus daturi explicationem, easdem ab aliorum iniuriis vindicantes. Restant adhuc enumerandae *tabulae votiuae, et scriptae, et pictae simul, expressis Numinum Seruatorum imaginibus.* Tale pereximium *donarium* hoc habet eruditissimus IAC. SPONIVS[r].

ΤѠ CѠΤΗΡΙ ΑCΚΛΗΠΙѠ CѠCΤΡΑ ΚΑΙ
ΧΑΡΙCΤΗΡΙΑ ΝΙΚΟΜΗΔΗC Ο ΙΑΤΡΟC
ΤΑΝ ΠΑΙΔΟC ΚΑΛΛΙCΤΑΝ
ЄΙΚѠ ΤΑΝ ΔΕ ΘЄΟΙΟ
ΠΑΙΑΝΟC ΚΟΥΡΟΥ ΜΗΤΡΟC ΑΠΑΡΤΙΤΟΚΟΥ
ΔΑΙΔΑΛΛΩΝ ΜЄΡΟΠЄCCΙΝ
ЄΜΗCΑΟ CЄΙΟΒΟΗΘЄ
ЄΥΠΑΛΑΜΟΥ CΟΦΙΗC
ΜΝΗΜΑ ΚΑΙ ЄCCΟΜЄΝΟΙC
ΘΗΚЄ Δ ΟΜΟΥ ΝΟΥCѠΝΤЄ
ΚΑΚѠΝ ΖѠΑΓΡΙΑ ΝΙΚΟ
ΜΗΔΗC ΚΑΙ ΧЄΙΡѠΝ
ΔЄΙΓΜΑ ΠΑΛΑΙΓЄΝЄѠΝ

Et idem vir summus, et elegantiorum litterarum studioso numquam sine veneratione et summo honore nominandus[s]:

ISIDI. SERAPI. LIBER
LIBERAE. VOTO
SVSCEPTO. PRO. SALVTE
SCAPVLAE. FILI. SVI
P. QVINCTIVS. PARIS
S. L. M

A co-

r) *Miscell. Erud. Antiq. Lugduni 1685. edit. Sect. IV. Illustrium Virorum, p. 132.*

s) *Inscriptions antiques, qui sont citées, ou qui appartiennent au Tome I. du voiage d'Italie, de Dalmatie, de Grece et du Leuant, à Amsterd. 1679. p. 365.*

A coté de cette baſe ſont grauez ISIS *et* SERAPIS; *L'autre coté, qui eſt engagé dans la muraille a peut étre la repreſentation de* LIBER *et de* LIBERA, *puiſque la pierre eſt dediée à ces quatre Diuinitez, pour la ſanté de Scapula, fils de Publius Quinctius Paris.*

Et I. P. TOMASINVS hoc ſiſtit pulcerrimum t:

PRO. SALVTE
IVLIAE. VENERIAE
FILIAE. DVLCISSIMAE
DELICIAE. SVAE
TABELLAM. HANC. MARM
CVM. SIGNO. AESCVLAPI
IN. SOMNO. ADMONITVS
L. VALERIVS. CAPITO
AED. ANN. - - -
— — — —
D. S. P. L. M. D. D. D

Sed alium adhuc, praeter hos enumeratos, fuiſſe gratiarum Diis agendarum et referendarum modum, iure quodam noſtro, et merito, omnino coniicimus. Conualeſcentes nempe poſt refectam valetudinem Diis Seruatoribus *membra, quae laborauerant, ex varia materia confecta*, dedicaſſe in rei memoriam, et ad ſignificandum gratum animum, arbitramur. Et ſunt loca veterum ſcriptorum, quibus id factum eſſe, liquido edocemur, et inueniuntur eiuſmodi donaria, quae nobis certius de ea re perſuadent. Ita PAVSANIAS de *donario*, APOLLINI *Delphico* conſecrato, habet u: Ἐν τοῖς ἀναθήμασι τοῦ

t) In *libro ſaepius laudato Cap. VII. p. 785.*

u) In *Phocicis, ſiue Lib. X. Cap. 2. p. 803.* Hunc locum TOMASINVS negli-

τῦ Ἀπόλλωνος, μίμημα ἦν χαλκῦ χρονιωτέρυ, καταῤῥυηκότος τε ἤδη τὰς σάρκας, καὶ τὰ ὀςᾶ ὑπολειπομένυ μόνα, ἀνάθημα δὲ ὑπὸ Δελφῶν Ἱπποκράτυς ἐλέγετο εἶναι τῦ ἰατρῦ. Quid impedit, quo minus credamus, hoc ſimulacrum ab Hippocrate fuiſſe in templo collocatum, vt gratias referret Diis, pro refecto ſua cura homine, qui tabe antea fere penitus eſſet conſumtus? Et TOMASINVS [x] refert de pede quodam aeneo, vetuſtiſſimi operis, tibiae integrae vnito, qui a nulla ſtatua auulſus videatur, et qui, omnis inſcriptionis expers, in muſeo IOAN. GALVANI adſeruatus, multis indiciis, *votum* fuiſſe, adſeueret. Idem etiam ex muſeo Cardinalis FRANCISCI BARBERINI imaginem hominis, aqua intercute laborantis, fictilem, et caput eiuſdem operis, occipite cauatum, e IOANN. BAPTISTAE CASALII muſeo ſiſtit, quod reſtituti viſus monimentum mulierem, oculis fortaſſis laborantem, SALVTI adpendiſſe, vir doctiſſimus cenſet [y]. Recentioribus temporibus id ſaltim ab illis, qui Chriſtianis ſacris initiati ſunt, factum eſſe, certiſſime conſtat. Diſertis verbis id docet THEODORETVS [z]: Ὅτι δὲ τυγχάνυσιν ὧνπερ αἰτῦσιν οἱ πιςῶς ἐπαγγέλλοντες, ἀναφανδὸν μαρτυρεῖ τὰ τύτων ἀναθήματα, τὴν ἰατρείαν δηλῦντα. Οἱ μὲν γὰρ ὀφθαλμῶν, οἱ δὲ ποδῶν, ἄλλοι δὲ χειρῶν, προσφέρυσιν ἐκτυπώματα. Καὶ οἱ μὲν ἐκ χρύσυ, οἱ δὲ ἐξ ὕλης ἀργύρυ πεποιημένα [a].

SECTIO

negligentius adſpiciens, grauiſſime in eiusdem errauit expoſitione. Vide *lib. cit. Cap. 34. p. 864.*

x) *Lib. cit. Cap. 7. p. 788.* De eiuſmodi digito votiuo confer LAVR. BEGERI *Theſaur. Brandenb. Vol. III. p. 405.*

y) Ibid. *Cap. 35. p. 869.* et *870.*

z) *Opp. Tom. IV. Lutetiae Pariſior. 1642. edit.* Θεραπευτικῆς *Serm. VIII.* περὶ τῶν Μαρτύρων τιμῆς *p. 606.*

a) Plura ad hoc argumentum ſpectantia, amplius adhuc partim pertractata, conferri poterunt in noſtra *Exercitatione, de Principibus Diis, Artis Medicae tutelaribus, apud veteres Graecos atque Romanos, Lipſiae 1735. edita, § XV. p. 15. § XVI. p. 25. § XVII. p. 31.*

SECTIO III.

DE IPSIS INCREMENTIS ARTIS MEDICAE PER EXPOSITIONEM AEGROTORVM IN VIAS PVBLICAS ET TEMPLA.

§ I.

De ipsis incrementis artis medicae per expositionem aegrotorum in vias publicas.



Quid retulerit vtilitatis ars medica ex vtriusque expositionis aegrotorum in loca publica specie, fusius vt demonstremus, instituti iam exigit ratio, ideoque de singulis in praesentia sigillatim. Loquuti sumus primum de consuetudine, aegrotos in vias publicas deponendi. Quidnam inde proficere potuit ars salutaris? Quam plurima sane. Generatim enim ex natura et indole huius ritus, tot gentibus vsitati, clarum est, experimenta in aegrotis publice esse facta, tunc etiam necessario morbi naturam, progressum et euentum fuisse a compluribus obseruatum, animaduersum deinceps diligentius, quid profuisset laborantibus, vel contra; quaenam tandem effecta fuerint, notatum fuisse, remediorum, consilio praetereuntium adplicatorum: hinc in dies, iterum iterumque accedente noua experientia, artem sensim paullatimque factam fuisse maiorem. Sed horum omnium memoria sane cito euanuisset, nisi eidem conseruandae omnibus prospexissent modis. Quid ideoque melius, quid sapientius fieri potuit, quam vt in sacris locis et templis obseruata sibi saepius, et vsu confirmata perscriberent?

rent? ibi enim fiebant publici iuris, nec erat timor eorum facile amittendorum. Haec vere ita facta fuisse, docere videtur *compositio variorum medicamentorum*, immo *ipsa medicamenta*, et tandem *instrumenta*, quibus manu medemur morbis, quorum in templis antiquissimis temporibus inventorum apud varios scriptores fit mentio. Obiicere quis poterit, haec inuenta medicamenta et ipsa, et descripta tantum, instrumentaque, fortassis reliquias esse *Donariorum*, Diis ab incubantibus in eorum templis consecratorum, ideoque eorum cognitionem magis pertinere ad artis medicae incrementa, per expositionem in templa, quam illam in vias publicas, et res per speciem veri satis est similis. Illa vero, quae iam in medium sumus prolaturi, partim in templis inventa referuntur, vbi ne verbo quidem, *incubationis* ritum obtinuisse, rerum gestarum scriptores perhibent. Stat etiam a partibus nostris vir, summus OLAVS BORRICHIVS[b], qui eamdem sequitur sententiam. *Sed praeter illa somniantium pharmaca*, inquiens, *quis dubitet*, *cetera quoque remedia ab insulae colonis descripta fuisse, quae iam saepe siue casu, siue ratione inuenissent?* et paullo post: *Certum ibi* (in Aegypto) *aegros rarius templis* incubuisse, *vt sanitatem ab* ISIDE *deposcerent*, *saepius in viis publicis*, *vt a praetereuntibus sine mysterio discerent medelas*, *et* tandem *de remediis ex triuiis conquisitis*, *et in aedem* AESCVLAPII, *vt similitudine conducerent*, *translatis*, loquitur. Et profecto non omni, hoc adserentes, destituimur veterum scriptorum auctoritate. PLINIVS

 certe

b) *In Hermetis*, *Aegyptiorum et Chemicorum sapientia*, *ab* HERMANNI CONRINGII *animaduersionibus vindicata*, *Cap. 7. § 12. pag. 71. seqq. Quid de Isidis pharmaco et incubationibus*, *item Hippocratis gestis in aede* AESCVLAPII *censendum?*

certe in loco [c], quem paullo ſuperius, alia de cauſſa citantes, diligentius ſumus contemplati, hanc noſtram ſententiam egregie corroborare videtur. *Tunc eam* (medicinam) *reuocauit in lucem* HIPPOCRATES, *genitus in inſula Coo, inprimis clara et valida, et* AESCVLAPIO *dicata. Is, quum fuiſſet mos, liberatos morbis ſcribere in templo eius Dei, quid auxiliatum eſſet, vt poſtea ſimilitudo proficeret, exſcripſiſſe ea traditur, atque, vt Varro apud nos credit, templo cremato, inſtituiſſe medicinam hanc, quae Clinice vocatur.* Hic PLINIVS generatim, liberatos morbis ſcribere ſolitos fuiſſe in templis, quid auxiliatum eſſet, adfirmat, et curatos a Diis per *incubationem*, ne verbo quidem tangit, licet nos non lateat, hoc templum eadem perilluſtre fuiſſe.

§ II.

Defectus teſtimoniorum hac de re in veterum ſcriptorum monimentis. Res argumentis euincitur. Emplaſtra *in templo* VVLCANI *ad Memphin deſcripta inuenta.* DAN. CLERICI *ſententia de medicamentis*, Iſis *dictis.* Collyrium *templo Epheſio teſtamento relictum ab auri fabro.* ANTIOCHI Theriaca *dedicata.* IO. ALB. FABRICIVS *notatus.* SALOMONIS *liber curationum in templo Hieroſolymorum.*

Remediorum, quae iam ſigillatim recenſebimus, in templis perſcriptas compoſitiones, ex hac aegrotorum expoſitione in vias publicas, aliquam certe partem, fortaſſis fuiſſe profectas, pro comperto et cognito habemus. Nos vero diſertis veterum ſcriptorum deſtitui teſtimoniis, profecto nulli miramur. Ritus enim eſt omnium longe antiquiſſimus, vt fere nihil ſpeciatim de eodem litterarum monimentis conſignatum, aetatem haec ad noſtra tempora ferre potuerit. PLVTARCHVS enim, et quidam alii, ſuperius commemorati, de eo, tamquam de conſuetudine, iam tum obſoleta, et antiquiſſimis ante ſe temporibus vſitata, loquuntur. Fac propterea,

c) *Hiſt. Nat. Lib. XXIX. cap. 2.*

pterea, nos concedere, horum remediorum, in ſanis repertorum, nonnulla illuc eſſe translata, ab hoc vel illo ſigillatim, et priuatim in proprio corpore vſu confirmata; tunc ſane experimenta, publice facta, prae reliquis omnibus templorum parietibus, et columnis, adſcripta et inſerta fuiſſe, omnino colligere poterimus, quod et ſub initium huius Diſſertationis demonſtrauimus, huiuſmodi expoſitionem aegrotorum, apud nonnullas gentes, auctoritate et lege publica ſancitam fuiſſe. Sed ipſa haec iam citata propius videamus medicamenta. Graecorum Medicorum, poſt HIPPOCRATEM, facile principi GALENO [d] HERAS quidam Cappadox vehementer laudatur ob inſignia et, vſu comprobata, in vnum librum congeſta, medicamenta: Εἰσὶ δὲ καὶ οἱ καθ' ἓν ἢ δύο μόνα (ſcilicet βίβλια) τὴν γραφὴν αὐτῶν ἐποιήσαντο, καθάπερ ὁ Καππαδόκης Ἥρας, οὔτ' ἀδόκιμον γράψας τι φάρμακον, οὔτε τὰς σκευασίας αὐτῶν καταλιπών, τάς τε κατὰ μέρος χρήσεις ἁπάσας διελθών. Ex hoc deſumtum recenſet *emplaſtrum* [e], longe praeſtantiſſimi vſus, quod in VVLCANI *templo ad Memphin* inuentum contendit, cui nomen ΙΣΙΣ [f], Ἐπιγόνου ita enim ait: λεγομένη παρά τινων. προσηγόρευε δὲ αὐτὴν (ſcilicet HERAS Cappadox) ὡς καὶ ἄλλοι τινὲς, Ἑρμῶνος τοῦ ἱερογραμματέως. ἐν ἑτέροις δ' ἂν εὕροις γεγραμμένην ἐκ τῶν ἀδύτων εἶναι καὶ τὴν δὲ κατὰ τὸ Ἡφαιστεῖον ἐν Αἰγύπτῳ καθάπερ καὶ τὴν διὰ τοῦ δικτάμνου, τὴν μέν τοι συμμετρίαν τῶν συντεθέντων αὐτὴν ἁπλῶν φαρμάκων, σχεδὸν ἅπαντες ΙΣΙΝ γεγράφασιν, ὥστε κἂν ἡ προγραφὴ διάφορος ᾖ, μὴ δόξῃς ἑτέραν, εἶναι καὶ ἑτέραν, τὴν τ' ἐκ τῶν ἀδύτων ἱεράν,

d) *Opp. edit. Baſil. Part. II.* περὶ συνθέσεως τῶν φαρμάκων τῶν κατὰ γένη βιβλ. β'. *p. 328.*

e) *L. c.* βιβλ. ε'. *p. 378.*

f) DAN. LE CLERC *Hiſtoire de la Medecine Part. I. Liv. I. Chap. 6. p. 17: Il ſe trouve dans les anciens recueils de medicamens de certaines compoſitions, qui portent le nom d'* Iſis; *mais il y a plus d'apparence, qu'on leur avoit donné ce nom pour les faire valoir, qu'il n'y en a, qu'* ISIS *elle même les eût decrits.*

ῥὰν, καὶ τὴν Ἕρμωνος τοῦ ἱερογραμματέως, καὶ τὴν Ἐπιγόνου. ἅπαντα
γὰρ ταῦτα προσαγορεύεται. Et idem [g] alius eiusdem *emplastri*,
sacri dicti, et in eodem fano inuenti, sic facit mentionem:
Καὶ τὴν διὰ δικτάμνου σκευαζομένην ἔμπλαστρον ἹΕΡΑΝ ὀνομάζουσιν,
εὑρῆσθαι λέγοντες καὶ ταύτην τὴν γραφὴν ἐν τῷ κατὰ Μέμφιν Ἡφαι-
στείῳ, μέμνηνταί γε πάντες αὐτῆς ἐπὶ ταῖς τοιαύταις συμμετρίαις, ἢ
βραχύ τι διαφερούσαις ἀρκέσει δὲ καὶ περὶ ταύτης τὴν τοῦ Ἥρα παρα-
γράψαι λέξιν οὕτως ἔχουσαν· ἹΕΡΑ ἡ ἐκ τοῦ ἐν Μέμφει Ἡφαιστείου. ποιεῖ
ἐπὶ προσφάτων ἐναίμων ῥευματικῶν, πρὸς νεύρων διακοπὰς, παλαιὰ
ἕλκη ὑπόνομα, θλάσματα, reliqua. Tanta quoque apud Grae-
cos antiquis temporibus ciuium fuit in salutem publicam pie-
tas, vt, de hoc vel illo salutari medicamento, eiusdemque vsu
praestantiori, edocti, eadem silentio transire, religioni sibi
ducerent, quin etiam, vt boni ciuis officio facerent satis,
ipsum medicamentum Diis in templis, ceu donum, dedicarent,
ex quo omnes publice deinde possent proficere. Praeclarissi-
mum eius rei exemplum, et dignum, quod hunc in locum
conferatur, relatum legimus apud AETIVM [h], de auri fabro,
qui compositionem κολλυρίου cuiusdam, pereximii vsus, *tem-
plo Ephesio* testamento reliquit. En tibi ipsius, historiam
enarrantis, verba: Κολλύριον οἰδημάτιον, τοῖς βλεφάροις ἐπιφέρει, δια-
θήκης ἐπικαλούμενον τοῦ χρυσοχόου, ὃ κατέλιπεν ἀποθνήσκων τῷ Ἐφε-
σίῳ ἱερῷ, ὥστε τοὺς ὑπὸ τῶν ἰατρῶν καταλιμπανομένους ἐν τῷ ἱερῷ ὑγιά-
ζεσθαι. εὑρέθη δὲ ὑπὸ Ἀδριανοῦ Καίσαρος. ποιεῖ πρὸς ἐπιφορὰς τρα-
χωμάτων· καὶ πρὸς πάντα τὰ ἀπεγνωσμένα πάθη· φλυκταίνας ἰᾶται.
cetera.

Sed quid haec de ciuibus praedicemus? immo potius
hoc dignis laudibus euehamus, ne reges quidem id facere eru-
buisse,

g) *Loc. cit.*

h) *Edit.* ALDIN. βιβλ. ἑβδόμ. *p.* 148. *a.*

buisse, cuius rei, ab ANTIOCHO rege factae, nobis auctor est C. PLINIVS SECVNDVS [i]: *Sed discessuri ab Hortensiis, vnam compositionem ex his clarissimam subtexemus aduersus venenata animalia, incisam lapide versibus in limine aedis* AESCVLAPII. Hic saltim generatim agit de ANTIOCHI theriaca, in templo dedicata, sed in sequentibus paullo magis diserte id indicat [k]: *Non omittenda est et theriaca, qua* ANTIOCHVS *rex aduersus omnes serpentes vtebatur, praeter aspidem, quae adeo probata est experimentis, vt apud insulam Coum in templo* AESCVLAPII *incisa sit in lapide.* Et in hoc tandem loco omnium optime [l]: *Vt serpilli potentiam intelligas, subdidi theriacam in templo* AESCVLAPII *ab* ANTIOCHO, *rege Syriae, versibus dedicatam, in qua non leuem meruit portionem.* Exinde luculenter adparet, quid commiserit erroris summus IO. ALB. FABRICIVS, id in APOLLINIS templo factum fuisse, ex his PLINII locis falso adfirmans [m], qua quidem de re iam aliis fuit notatus [n]. Non vero Graecis tantum, sed sacrae etiam genti, consuetudinem hanc sollemnem fuisse, vt remedia saepius comprobata, in templis perscripta, adseruarent, omnino testaliber ille, SALOMONI, licet falso, adscriptus, cuius meminisse hic operae pretium erit, in quo omnium morborum curationes contentae dicuntur, limini templi Hierosolymorum inscripto,

i) *Hist. Nat. Lib. XX. Cap. 100. Tom. IV. Edit. cit. p. 95.*

k) Vel alius quidam, quod nonnullis videtur, PLINIVS VALERIANVS *de re medica, Lib. III. Cap. 57. edit. Basil. 81.* Vide, sis, DAN. LE CLERC *Histoire de la Medecine Part. III. Liu. 2. Chap. 2. p. 648. seqq.*

l) *Loc. cit. Lib. IV. cap. 38.*

m) *Bibliothec. Graec. Vol. XIII. p. 64. Lib. VI. c. 9.* ANTIOCHVS, *Syriae rex, qui antidotum illud celeberrimum,* theriacam, *in templo* Aesculapii *versibus dedicauit, teste* PLINIO *Lib. XX. Hist. Nat. cap. vlt. siue in templo* Apollinis, *vt scribit* PLINIVS VALERIANVS.

n) Vid. DAN. VINKIVM *loc. cit. Sect. I. Cap. 6. p. 94.*

ſcripto, de quo ita eſt apud SVIDAM[o]: Ἦν Σολομῶνος βίβλος ἰαμάτων πάθȣς παντὸς, ἐγκεκολαμμένη τῇ τȣ̃ ναȣ̃ φλιᾷ. Ταύτην ἐξεκόλαψεν Ἐζεκίας, ȣ̓ προσέχοντος τȣ̃ λαȣ̃ τῷ Θεῷ, διὰ τὸ τὰς θεραπείας τῶν παθῶν ἐνθένδε τȣ̀ς πάσχοντας αὐτȣ̀ς κομίζεσθαι, περιορῶντας αἰτεῖν τὸν Θεόν. Hic ſuboritur quaeſtio: Fueritne inter has SALOMONIS curationes etiam quaedam factae in aegrotis, qui in vias publicas a IVDAEIS fortaſſis depoſiti fuerint? Reſponſionis loco notam N. L. dubii adponere cogimur, nondum enim nobis ſatis de eo conſtat, fueritne ritus exponendi aegrotos in vias publicas, et antiquis et recentioribus temporibus, apud IVDAEOS, vel contra; neque vllum ſcriptoris, id adfirmantis, locum inuenire poſſumus, quo fulciamur, licet omnem adhibuerimus operam, neque DOVGTAEVS, VINKIVS, aliique, vti in caſſum facere nitebantur, quid adtulerunt dignum, cui fidem habere poſſimus.

§ III.

Medicamentorum compoſitio *non tantum deſcripta in templis*, *ſed etiam* ipſa remedia, *ibi collocata*. *Item* inſtrumenta chirurgica. CAELIVS AVRELIANVS *explicatus*. Voluptas *et* Febris *Deae Romanorum*.

Ex his huc vſque adlatis non dubium eſt, quin clarum fiat, immo pro re tranſacta habeatur, varias veterum gentes *medicamenta*, vſu confirmata, etiam ſine *incubatione* in templis perſcripſiſſe. Nunc efficiendum id vnum reſtat, non *compoſitionis remedii* cuiuſdam tantum *deſcriptionem* in fana fuiſſe perlatam, ſed etiam *ipſa medicamenta*, et *inſtrumenta*, quibus laborantibus ſubuentum eſſet, ibidem eſſe ſuſpenſa. De his primo loco agendum erit, quippe quorum relicta monimenta antiquiora omnino ſunt. Sed haec omnia ſane in vnum tantummodo coeunt, vt ita dicam, et vel hoc careremus,

o) *Edit.* LVDOLPHI KVSTERI *Tom. I. p. 681.* in voce Ἐζεκίας.

mus, nisi idem beneficio CAELII AVRELIANI, ex ERASISTRATO, antiquissimo quodam Medico, conseruatum, deberemus, qui haec litterarum monimentis consignata reliquit [p]: ERASISTRATVS *plumbeum*, *inquit*, odontagogum, *quod nos dentiducum dicere poterimus*, *apud Delphum in* APOLLINIS *templo*, ostentationis *caussa*, *propositum*, *quo demonstratur*, *oportere eos dentes auferri*, *qui sint faciles*, *vel mobilitate laxati*, *vel quibus sufficiat plumbei ferramenti conamen ad summum* [q]. In hoc loco circa expositionem vocis *ostentationis* facile haerere aliquis posset, quid significare debeat? iactantiae enim caussa hoc factum esse, quis crediderit? Mea quidem ea est sententia, hic vocem ita sumi, vt est eius prima vis atque potestas, scilicet *odontagogum* esse propositum, vt *saepius ostenderetur*, et audaciores commonefierent, ne temere dentes trahere conarentur. Fueritne vero hoc suspensum *odontagogum* adhibitum antea, nec ne? liquido adfirmare vix audemus, quod in re antiquissima, obscura, et tenebris penitus offusa, non cernere, saltim coniicere, liceat. Sed pergamus tandem ad *medicamenta ipsa*, in fana translata. Horum quidem rarior fit mentio apud rerum gestarum scriptores, bina tamen exempla, eius rei probandae caussa, in praesentia sumus adlaturi, ex quorum primo veri esse simile videtur, *remedia, ore adsumta*, in templa fuisse relata, ex altero vero elucet, *ipsa*, *externe adplicata*, *corpori adpensa*, *amuleta* scilicet, ibidem collocata fuisse. Ita PAVSANIAS [r] narrat, in *Sicyoniis* esse fanum APOLLINIS *Lycaei*, quippe qui id nominis sit adeptus, quod per

p) *Morborum Chron. Lib. II. cap.* 4. *de Dolore Dentium*, *Edit.* ALMELOVEENII *p. 375.*

q) Vid. THOM. REINESII *Variar. Lect. Cap. 12. p. 538.*

r) In *Corinthiacis*, siue *Lib. II. Cap. 9. p. 133.*

per oraculum, quum lupi ouilia vastarent et exinanirent, suaserit, vt *ligni* cuiusdam *aridi* monstrati *corticem*, cum carne commixtam, lupis deuorandam porrigerent, omnibus, quotquot eamdem gustauerant, continuo exstinctis. De quo *ligno*, deinceps in fanum, iam commemoratum, translato, ibidemque adseruato, neque tum vlli noto, haec addit: Τὸ ξύλον δὲ ἐκεῖνο, ἔκειτο μὲν ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Λυκαίου· ὅτι δὲ ἦν δένδρον, οὐδὲ οἱ τῶν Σικυωνίων ἐξηγηταὶ συνῄδεσαν. Quum itaque ex his cognoscamus, eam fuisse diligentiam veterum, vt etiam illa, quae, animantibus brutis diuino oraculo profuisse, animaduerterent, curatius in templis conseruarent: veri profecto simillimum est, eosdem illa, quae, hominibus Numinum consilio salutaria fuisse, obseruabantur, hoc maiori diligentia in iisdem custodisse. Quod vero ad *amuleta* attinet, eadem in fanis Deorum esse suspensa, ex iam sequuturis clarum fiet. Veteres Romani non salutaria tantum, leges sapientissimas, et instituta, a Graecis petierunt, sed luxum etiam inde mutuati sunt et superstitionem, et, non contenti innumera fere Graecorum Deorum multitudine, addiderunt potius adhuc plura, ridiculaque; immo eorum superstitio vsque eo fuit progressa, vt ne vitia quidem, et morbos, Deorum in numerum referre, erubescerent. Ita apud varios scriptores fanorum, *Voluptati* sacrorum[s], passim occurrit mentio, et *Febrem* pro Dea Romae esse habitam, diuinoque honore cultam, et illi tria fuisse dedicata templa, pluribus testatur VALERIVS MAXIMVS[t]; *Febrem*, (Romani) *ad minus nocendum, templis colebant: quorum adhuc vnum in Palatio, alterum in area Marianorum monimen-*

s) CICERO *de Nat. Deor. II. Cap.* 23. IOAN. ROSIN. *Antiq. Rom. Cap.* 19. *p.* 172.

t) *Lib. II. Cap.* 5. *n.* 6. *Edit.* ABRAHAMI TORRENII, *Leidae* 1726. *p.* 164. *seq.*

nimentorum, tertium in ſumma parte Vici longi exſtat. Immo non deſunt documenta, ex quibus cognoſcimus, eidem, vt aliis Diis Seruatoribus, pro recuperanda ſalute, vota fuiſſe facta, eamdemque ibidem honorificis admodum adpellatam eſſe nominibus. Eiuſmodi quoddam nobis peregregium ſiſtit monimentum I. P. TOMASINVS[u]:

FEBRI. DIVAE. FEBRI
SANCTAE. FEBRI. MAGNAE
CAMILLA. AMATA. PRO
FILIO. MALE. AFFECTO. P.

In templa, paullo ante commemorata, *remedia, quae corporibus aegrotorum adnexa fuerant,* delata fuiſſe, idem VALERIVS MAXIMVS in iam recenſito loco teſtatur. Ex quibus omnino patet, iam tum temporis curationem febrium per *amuleta* tentatam fuiſſe, quod vel hodie vetulae edentulae, et cum illis haud pauci medici, ſi hi id nominis merentur, ſuperſtitioſi, irrito licet conatu, facere non dubitant.

§ IV.

Incrementa artis Medicae per expoſitionem aegrotorum in templa. *Monimentum hic delineatum exponitur. Speciatim inſcriptio prima. Sculptorum vitia. Notatus* HIERONYMVS MERCVRIALIS, *et plurimi eum ſequuti. Quid* ζῶσαι ἀρεταὶ *explicatur ex locis noui foederis,* SOPHOCLIS, *aliorumque. Sub quo* ANTONINO *poſitum hoc monimentum?*

Et haec de incrementis artis Medicae per *expoſitionem aegrotorum in vias publicas* dicta ſufficiant: Nos iam ad illa transferamus contemplanda, quae per *incubationem* artem cepiſſe certius conſtat. Ex illis, quae ſuperius de APOLLINIS et AESCVLAPII, immo aliorum Deorum, templis, *incubatione* aegrotorum claris, pluribus expoſuimus, ſpes affulſit, nos in *Do-*

u) In *Libro ſaepius laud. cap. 35. Vota pro aegrotantium ſalute, p. 867.*

nariis, quae a conualescentibus, gratiarum agendarum caussa, posita et suspensa retulimus, aliquid esse inuenturos, vnde clare demonstrare possemus, quid vtilitatis inde in artis Medicae augmentum profectum sit, praesertim quum ibi euicimus, illorum *Donariorum*, innumerorum fere, quamdam fuisse speciem, in qua et morbi ratio, et eiusdem medela, a Diis praescripta, exposita erat. Sed iniuriae temporis tribuimus, ex horum tanta multitudine, huiusmodi vnum tantum, quod quidem nouimus, illud vero peregregium, et verissimum veteris splendoris monimentum, haec vsque ad nostra tempora tulisse aetatem. Tabula haec est marmorea, quae in *templo* AESCVLAPII *Tiberino* inuenta dicitur, et quam adhuc suo tempore Romae apud MAFFEOS conseruatam confirmat HIERONYMVS MERCVRIALIS[x], vir de elegantiori Medicina bene meritus, cuius elegantissimam figuram, ex I. GRVTERO mutuatam, hic diligentius exsculpendam curauimus, singulorum sigillatim additurі expositionem. Quatuor continet haec tabula inscriptiones, et, sub ANTONINO Imperatore positam fuisse, prior earumdem demonstrat. De iis generatim hoc notatum velim, eas antiquam illam prae se ferre scribendi simplicitatem, hinc, illas genuinas esse, nec a recentioribus dolo suppositas, nobis persuaderi, facile concedimus. Non possumus quidem non confiteri, in earum sculpendarum ratione passim non nihil irrepsisse vitii, ita, vt haud raro littera cum alia simili commutata videatur, id quod, ipsum monimentum curatius contemplaturi, diligentius indicabimus; sed, haec leuiora eius auctoritati fidem non derogatura esse, confidimus, praecipue, quum in quam plurimis eiusmodi veterum monimentis obseruemus, operarum vitiis haud raro

ro

x) In *Arte Gymnastica*, *Lib. I. Cap.* 1.

ΙΤΟ

—ΑΥΤΑΙϹ ΤΑΙϹ ΗΜΕΡΑΙϹ ΓΑΙΩ ΤΙΝΙ ΤΥΦΛΩ ΕΧΡΗΜΑΤΙϹΕΝ ΕΛΘΕΙΝ ΕΠΙ ΙΕ
ΡΟΝ ΒΗΜΑ ΚΑΙ ΠΡΟϹΚΥΝΗϹΑΙ ΕΙϹΑ ΑΠΟ ΤΟΥ ΔΕΞΙΟΥ ΕΛΘΕΙΝ ΕΠΙ ΤΟ ΑΡΙϹΤΕΡΟΝ
ΚΑΙ ΘΕΙΝΑΙ ΤΟΥϹ ΠΕΝΤΕ ΔΑΚΤΥΛΟΥϹ ΕΠΑΝΩ ΤΟΥ ΒΥΜΑΤΟϹ ΚΑΙ ΑΡΑΙ ΤΗΝ ΧΕΙ Τ
ΡΑ ΚΑΙ ΕΠΙΘ ΕΙΝΑΙ ΕΠΙ ΤΟΥϹ ΙΔΙΟΥϹ ΟΦΘΑΛΜΟΥϹ ΚΑΙ ΟΡΘΟΝ ΑΝΕΒΛΕΨΕ ΤΟΥ
ΔΗΜΟΥ ΠΑΡΕϹΤΩΤΟϹ ΚΑΙ ϹΥΝΧΑΙΡΟΜΕΝΟΥ ΟΤΙ ΖΩϹΑΙ ΑΡΕΤΑΙ ΕΓΕΝΟΝΤΟ ΕΠΙ
ΤΟΥ ϹΕΒΑϹΤΟΥ ΗΜΩΝ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ

—ΛΟΥΚΙΟΥ ΠΛΕΥΡΕΙΤΙΚΩ ΚΑΙ ΑΦΗΛΠΙϹΜΕΝΩ ΥΠΟ ΠΑΝΤΟϹ ΑΝΘΡΩΠΟΥ ΕΧΡΗϹΜΑΤΙ
ϹΕΝ Ο ΘΕΟϹ ΕΛΘΕΙΝ ΚΑΙ ΕΚ ΤΟΥ ΤΡΙΒΩΜΟΥ ΑΡΑΙ ΤΕΦΡΑΝ ΚΑΙ ΜΕΤ ΟΙΝΟΥ ΑΝΑ
ΦΥΡΑϹΑΙ ΚΑΙ ΕΠΙΘΕΙΝΑΙ ΕΠΙ ΤΟ ΠΛΕΥΡΟΝ ΚΑΙ ΕϹΩΘΗ ΚΑΙ ΔΗΜΟϹΙΑ ΗΥΧΑΡΙϹΤΗϹΕΝ
ΤΩ ΘΕΩ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟϹ ϹΥΝΕΧΑΡΗ ΑΥΤΩ

—ΑΙΜΑ ΑΝΑΦΕΡΟΝΤΙ ΙΟΥΛΙΑΝΩ ΑΦΗΛΠΙϹΜΕΝΩ ΥΠΟ ΠΑΝΤΟϹ ΑΝΘΡΩΠΟΥ ΕΧΡΗϹΜΑ
Ν ΤΙϹΕΝ Ο ΘΕΟϹ ΕΛΘΕΙΝ ΚΑΙ ΕΚ ΤΟΥ ΤΡΙΒΩΜΟΥ ΑΡΑΙ ΚΟΚΚΟΥϹ ϹΤΡΟΒΙΛΟΥ ΚΑΙ
ΦΑΓΕΙΝ ΜΕΤΑ ΜΕΛΙΤΟϹ ΕΠΙ ΤΡΕΙϹ ΗΜΕΡΑϹ ΚΑΙ ΕϹΩΘΗ ΚΑΙ ΕΛΘΩΝ ΔΗΜΟϹΙΑ
ΗΥΧΑΡΙϹΤΗϹΕΝ ΕΜΠΡΟϹΘΕΝ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ

—ΟΥΑΛΕΡΙΩ ΑΠΡΩ ϹΤΡΑΤΙΩΤΗ ΤΥΦΛΩ ΕΧΡΗΜΑΤΙϹΕΝ Ο ΘΕΟϹ ΕΛΘΕΙΝ ΚΑΙ ΛΑΒΕΙΝ ΑΙΜΑ
ΕΞ ΑΛΕΚΤΡΥΟΝΟϹ ΛΕΥΚΟΥ ΜΕΤΑ ΜΕΛΙΤΟϹ ΚΑΙ ΚΟΛΛΥΡΙΟΥ ϹΥΝΤΡΙΨΑΙ ΚΑΙ ΕΠΙ
ΤΡΕΙϹ ΗΜΕΡΑϹ ΕΠΙΧΡΕΙϹΑΙ ΕΠΙ ΤΟΥϹ ΟΦΘΑΛΜΟΥϹ ΚΑΙ ΑΝΕΒΛΕΨΕΝ ΚΑΙ ΕΛΗΛΥΘΕΝ
ΚΑΙ ΗΥΧΑΡΙϹΤΗϹΕΝ ΔΗΜΟϹΙΑ ΤΩ ΘΕΩ

ΕΩ



Berningeroth f.

ro quid esse peccatum. Harum prima inscriptio haec est: Αὐταῖς ταῖς ἡμέραις Γαίῳ τινὶ τυφλῷ ἐχρημάτισεν, ἐλθεῖν ἐπ - - - ἱερὸν βῆμα καὶ προσκυνῆσαι, εἶσα ἀπὸ τȣ̃ δεξιȣ̃ ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ ἀριστερὸν, καὶ θεῖναι τȣ̀ς πέντς δακτύλȣς ἐπάνω τȣ̃ βύματος, καὶ ἆραι τὴν χεῖρα, καὶ ἐπιθεῖναι ἐπὶ τȣ̀ς ἰδίȣς ὀφθαλμȣ́ς. καὶ ὀρθὸν ἀνέβλεψε τȣ̃ δήμȣ παρεστῶτος, καὶ συγχαιρομένȣ, ὅτι ΖΩΣΑΙ ἈΡΕΤΑΙ ἐγένοντο ἐπὶ τȣ̃ Σεβαστȣ̃ ἡμῶν Ἀντονείνȣ.

Quam sic reddimus Latinam:

Hoc tempore Caio cuidam caeco oraculo fuit responsum, vt, ad aram accedens, adoraret Numen, dein a dextra parte ad sinistram iret, et quinque digitos in ara post, quam collocasset, manum rursus inde reciperet, et propriis imponeret oculis. Et continuo recuperauit visum, circumfusa concione populi, vna cum eo laetantis et congratulantis, quod efficacissima et praesentissima Diuinae potentiae haec suppeterent documenta, (quod oraculis Diuinis tam egregie responderent effecta [y] *) temporibus Imperatoris nostri* ANTONINI.

Leuiora vitia, quae in Graeca inscriptione vel negligentia sculptoris, vel incuria describentium, irrepsisse videntur, haec animaduertimus. In linea secunda pro εἶτα, εἶσα, in tertia βύματος, pro βήματος, in quarta linea ἐπιθεῖναι male diuulsum est, et ἐπιθ εἶναι positum inuenitur. Vocem ζῶσαι, quae est in quinta linea, falso habet pro errore HIERONYMVS MER-

y) Vtra harum explicationum sit veri similior, magisque arrideat? iudicent eruditi. Priorem quidem satis, quod videtur, optimorum scriptorum confirmatam testimoniis, quilibet mox cognoscet: altera tamen adhuc magis propria, et ad hunc nostrum locum vere adcommodata, esse obseruatur. Hausimus eamdem ex luculento STRABONIS loco, superius p. 32. iam adlato, qui de SERAPIDIS *templo Canopico*, *incubatione* claro, exponens addit: Συγγράφȣσι δέ τινες καὶ τὰς θεραπείας, ἄλλοι δὲ ἈΡΕΤΑΣ τῶν ἐνταῦθα λογίων. Hic ἈΡΕΤΑΙ λογίων nihil aliud significant, quam: *oraculorum euenta*, *effecta*, *editis oraculis respondentia.*

CVRIALIS [z]: qui, pro ζῶσαι, frigide ponendum putat τόσσαι, et plurimi eumdem ſequuti, H. CONRINGIVS [a], I. P. TOMASINVS [b], DAN. CLERICVS [c] et GVILIELM. FLEETWOOD [d], hac ſententia nixi, Latine reddunt *grandia*, vel *tanta.* Sed longe excellentius, et magis ἐμφαντικῶς dictum eſt ζῶσαι ἀρεταὶ, quam τόσσαι ἀρεταὶ, praecipue, quod τόσσαι, pro τόσαι non, niſi poetis, HOMERO in primis, et HESIODO, dictum, inueniatur. Audacius fortaſſis ζῶσαι ἀρεταὶ translatae videbuntur per *efficaciſſima et praeſentiſſima potentiae Diuinae documenta*, ſed ſingulorum addituri ſumus rationes. Vox ἀρετὴ generatim quidem dicitur *virtus*, interdum vero etiam *bonitas*, *excellentia*, *elegantia*, *perfectio*, *benignitas*, *liberalitas*, *gloria*, quod optime demonſtrat eruditiſſimus Medicus, THOMAS REINESIVS [e]. SOCRATES apud PLATONEM in Cratylo eam ſignificare, ait, primum εὐποϱίαν, *facilem et expeditam rerum et conſiliorum facultatem*, deinde λελυμένην τὴν ῥοὴν τῆς ἀγαθῆς ψυχῆς, hoc eſt: *ſolutum, et quaſi alueo ſecundo manantem, bonae animae fluxum*, vt praeclare obſeruauit HENRICVS HOOGEVEEN [f]. Immo, hanc vocem a ſacris ſcriptoribus adhiberi de Deo, animaduertimus, ſi *eius adfectiones* generatim [g], et ſpeciatim *ſummam potentiam*, vna voce deſignare

z) *De Arte Gymnaſtica Lib. I. Cap. I. p. 2.*

a) In *Diſſertatione de Incubatione § XXXVI.*

b) In *Libr. ſaep. cit. cap. 7. p. 783.*

c) *Hiſtoire de la Medecine Part. I. Livr. I. chap. XX. p. 64.*

d) *Inſcript. antiqu. Syllog. Part. I. pag. 38.*

e) *Variar. Lection. Lib. III. Cap. 5. p. 430.*

f) In *notis ad* FRANCISCI VIGERI *librum: De praecipuis Graecar. Diction. Idiotiſmis Cap. 3. p. 56. Ed. Lugd. Bat. 1742.* Ipſe etiam VIGERVS digniſſimus, qui conferatur, de voce ἀρετὴ plurima egregia adferens.

g) Tunc haec vox in numero, qui multitudinem deſignat, poſita inuenitur. Vid. IO. CHRPH. WOLFII *Cur. Philol. et Crit. Vol. IV. p. 184.*

re volunt. Ita S. PETRVS[h]: Ὡς πάντα ἡμῖν τῆς θείας δυνάμεως αὐτοῦ τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν δεδωρημένης, διὰ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ καλέσαντος ἡμᾶς διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς. Ad quem locum IOAN. FRID. HOMBERGK[i]: *Certum est*, inquit, *et extra omnem contradictionem positum, verbum ἀρετὴ optime de Deo dici, illique conuenire, sed non sub notione* virtutis, *verum* potentiae. *Sic enim omnes Graeci hoc vocabulum vsurparunt, et ipse* PETRVS[k] *Deo tribuit ἀρετάς. Et* HESYCHIVS *diserte dicit: ἀρετὴ, id est, θεία δύναμις*[l]. Quis itaque dubitabit, in hac inscriptione ἀρετὴν significare *Diuinam potentiam,* quum de AESCVLAPIO, oraculum edente, verba fiant? Sed quod hic loci ἀρεταὶ in numero plurium positae sint, nec *potentias* Latine dicere liceat, commode exprimi posse, confidimus, per *potentiae Diuinae documenta,* id est, *potentia Diuina saepius commonstrata,* quae vero vox magis adposite et neruose ἀρεταῖς iungi potuisset, quam ζῶσαι? quippe quam vtramque coniunctim Latine reddimus *efficacissima, et praesentissima potentiae Diuinae documenta.* Hanc vim et potestatem huic voci vt assignemus, commovemur, confirmati duplici peregregio SOPHOCLIS exemplo, quippe qui in loco quodam[m] haec habet:

Ὡς τοῖσιν ἐμπείροισι καὶ τὰς ξυμφορὰς
ΖΩΣΑΣ ὁρῶ μάλιστα τῶν βουλευμάτων,

vbi scholia antiqua ζώσας quam optime exponunt per ἐνεργεστέρας; et in alio[n]:

Μαν-

h) *Epist. II. Cap. I. v. 3.*

i) In *Parergis Sacris, Amstel. 1719. edit. ad h. l. p. 363.*

k) *Ep. I. Cap. II. v. 9.*

l) Conf. IOAN. ALBERTI *Obseruationes philologicas in sacros noui foederis libros p. 459.* et I. CHRPH. WOLFII *libr. cit.* vbi in eumdem locum est commentatus *p. 184.*

m) *In Oedipo Tyranno v. 43. Edit. Cantabrig. p. 67.* Conf. *Scholia* TRICLINII *p. 202.*

n) *In eadem tragoedia v. 489.*

Μαντεῖα τὰ δ' αἰεὶ
ΖΩΝΤΑ περιποτᾶται,

quae per ἰσχύοντα τῇ ἀληθείᾳ scholia antiqua explicant. Sic ipse Deus O. M. passim in sacro Codice dicitur Θεὸς ζῶν, et ἀεὶ ζῶν, *cuius auxilium scilicet praesens est et certissimum* [o].

Quod ad ipsam caecitatis curationem, quae hic describitur, attinet, omnino cum omnibus aliis concedimus, superstitiosam fuisse et fictam, vel, si vere ita accidisset, plane miraculosam, id quod etiam, a veteribus creditum fuisse, inde cognoscimus, quoniam eamdem ad ζώσας ἀρετὰς referebant. Tandem de hac re efficiendum restat, sub quo ANTONINO, cuius mentio in hoc monimento facta, id accidisse veri simile sit? Crediderim equidem, temporibus M. AVRELII ANTONINI Philosophi, et addam rationes. Constat inter omnes, vtrique ANTONINORVM, Pio et Philosopho, ob singulares virtutes habitos fuisse diuinos honores, templa dedicata, flamines constitutos, in hoc vero colendo vsque eo populi progressam esse superstitionem, vt illum sacrilegum iudicarent, qui eius imaginem in sua domo non haberet [p], immo non defuisse, qui *somniis multa praedixisse futura, et vera, concinuerint.* Quidni ex his coniiciamus, populum ea de caussa congratulatum, et vna laetatum esse summo opere cum homine, oraculi effato caecitate liberato, quod vel fortassis putarent, hoc oraculum ipsum ab ANTONINO suo diuino afflatu esse editum [q], vel saltim, inde peti posse diuinitatis sui

o) In *Epist. ad Hebr. cap. III*, 12. *VII*, 25.

p) IVLIVS CAPITOLINVS *in vita eius cap. 18. p. 395. Edit. Script. Hist. Aug. c. n. var. Lugd. Bat. 1671.*

q) IS. CASAVBONVS *in notis* ad CAPITOLINI locum: *Videtur*, inquit, *significare*, *solitam in* MARCI *templis exerceri* τὴν δι' ἐγκοιμήσεως μαντικήν: *consultoresque inibi* incubantes *somnia captasse, vt in* AESCVLAPII *templis, et aliis quibusdam, fieri solitum.*

ſui Imperatoris teſtimonium, confiderent, tamquam ex re, ſingulari fauore et beniuolentia Deorum erga ANTONINVM facta? Sed de hac re liberum cuique iudicium erit, nobis quidem haec coniectura a veritate propius abeſſe videtur.

§. V.

Secunda inſcriptio explicata. Ratio verſionis reddita. Operarum vitia. H. CONRINGIVS *et* GONSALIVS DE SALAS *refutati. Vera et legitima haec fuit morbi curatio.*

Alteram inſcriptionem huius monimenti nunc ſiſtimus:

Λουκίου πλευριτικῷ καὶ ἀφηλπισμένῳ ὑπὸ παντὸς ἀνθρώπου ἐχρημάτισεν ὁ Θεὸς ἐλθεῖν, καὶ ἐκ τοῦ τριβώμου ἆραι τέφραν καὶ μέτ' οἴνου ἀναφυράεαι καὶ ἐπιθεῖναι ἐπὶ τὸ πλευρόν. καὶ ἐσώθη, καὶ δημοσίᾳ ἠυχαρίστησεν τῷ Θεῷ, καὶ ὁ δῆμος συνεχάρη αὐτῷ.

Quae ita a nobis Latina donatur ciuitate:

Lucii cuiuſdam filio pleuritico, (lateris dolore acuto laboranti,) *cuius ſaluti omnes diffidebant, Deus oraculum edidit, vt, ad aram adgreſſus, cineres inde ſumeret, et cum vino commixtos lateri imponeret. Et conualuit, et publice Diis egit gratias. Populus vero cum eo laetatus, et congratulatus eſt.*

Audacius paullo factum eſſe videbitur, nos contra omnes alios, qui *Lucium pleuriticum* habent, vertere *Lucii filium pleuriticum;* ſed videamus, quibus modis noſtram confirmare poſſimus ſententiam. Inuenitur in ipſo monimento poſitum: Λουκίου πλευριτικῷ καὶ ἀφηλπισμένῳ. Omnes alii, Λουκίου, ſculptorum negligentia, poſitum eſſe pro Λουκίῳ, putant, ideoque hoc in eius locum ſubſtituunt. Ego vero crediderim, loci cuiuſdam explicationi quouis modo ante ſubueniendum eſſe, quam aliquid temere et ſine auctoritate in eodem mutare audeamus, malim propterea explicare, *Lucii filio*, quam *Lucio*, licet non lateat, in hac loquendi ratione praeponi a ſcriptoribus articulum,

culum, et ita praefigendum τῷ hic omiſſum intelligi debere. Sed eſtne ſatius, ſtatuere hic ellipſin quamdam, Graecis vſitatam, quam confidentius adfirmare, erratum hic eſſe ſculptoribus, et poſitum eſſe caſum ſecundum pro tertio? Huc accedit, vix veri eſſe ſimile, ſculptores poſuiſſe ȣ pro ω, idque praecipue, quum adhuc binae voces proxime ſequantur, eadem littera ω finitae, hinc operarum vitium nimis doctum videretur. Sed parum intererit, legamusne *Lucio*, vel *Lucii filio*, ideoque haec non amplius perſequemur. Hoc notamus, in linea prima eſſe peccatum et poſitum πλευρειτικῷ pro πλευριτικῷ, et in tertia ἀναφυράεσαι pro ἀναφυράσαι. Quod ſpectat ad curationem pleuritici cum magmate, quod vocant Medici, ex cineribus cum vino commixtis impoſito, ipſam huic morbo eſſe conuenientem, ſumus demonſtraturi, eamdem a plurimorum iniuriis vindicantes. H. CONRINGIVS de omnibus remediis, quae continentur hiſce inſcriptionibus, inepte, et minus iuſte ita iudicium tulit [r]: *Neque enim quidquam illorum, quo quatuor illi aegroti ſanitatem recuperaſſe ſcribuntur, ad morbos curandos valuit.* Et alio in loco [s]: *Si enim vel quatuor illas tabulas ſupra allatas conſideremus*, (inſulſum hoc dictum eſt, quatuor ſunt quidem inſcriptiones, vni tabulae inſculptae, non vero quatuor tabulae,) *luce meridiana clarius eſt, non niſi ſymboli loco remedia illa morbis curandis adhibita, vim ipſam ſuppeditantibus daemonibus.* Turpe eſt profecto, tantum virum in explicatione rei, quae commode a cauſſis naturalibus deriuari et expediri poteſt, continuo cum vetulis malum daemonem

r) *De Hermetica Medicina Lib. I. cap. 11. p. 114.*

s) In *Diſſertatione de Incubatione in fanis Deorum Medicinae cauſſa olim facta*, § *XL.* Vide GONSALII DE SALAS *not. ad* PETRON. *cap. 17. Quum miraculoſae*, inquit, *prorſus illae curationes ſint, parum ſane ex id genus tabellulis iuuari poterat primo ſuo ortu rudis medicina.*

daemonem in auxilium vocaſſe, ſed ita quidem facere conſueverat. *Sane prima inſcriptio*, pergit ille, *quanta quanta eſt, meris referta eſt ſuperſtitionibus, quae per ſe nihil, apud credulum animum vix quidquam, poſſunt.* Haec de prima et vltima inſcriptione ambabus ſumus conceſſuri manibus. *Ceterae inſcriptiones, quae adferunt remedia, ſunt nullius pretii, certe illis morbis tollendis* ἀνεπιτήδεια. Id quod negamus, immo pernegamus. Iuſtius et aequius paullo iudicarunt TOMASINVS et CLERICVS, quippe quorum prior adfirmat [t]: *Secundam et tertiam ſaltim inſcriptionem continere curationes, rationi et experientiae congruentes;* et alter [u]: *Le premier des remedes*, ait, *que ce Dieu ordonne, eſt purement ſuperſtitieux, mais les trois autres ſont naturels, et aſſez ſemblables à ceux, que les Medecins ſont accoutumés d'ordonner en pareils cas; à celà près, que ceux d'Eſculape ſont aſſaiſonnés d'un peu de ſuperſtition, ce qui aujourd'hui auſſi bien, qu'alors, ſert à faire trouver les remedes meilleurs à pluſieurs perſonnes.* De ſecundo et tertio conſtat, et in praeſentia adhuc amplius id ſumus demonſtraturi; de quarto videat ille, neque hanc ſententiam noſtram facimus. Sed redeamus ad explicandam ſpeciatim *pleuritidis* curationem, altera inſcriptione contentam. Vel *vera*, vel *ſpuria*, *pleuritide* hunc aegrotum adfectum fuiſſe, concedamus; ſane in vtraque morbi ſpecie hoc iuuari potuit remedio. Si *verae* laborauerit *pleuritidis* quadam ſpecie, reſoluendo, aperiendo, et vaſa corroborando, itaque morbum diſcutiendo, vinum cum cineribus, qui acriori ſale ſcatent, calide impoſitum, magnopere profuit. Summus HIPPOCRATES ipſe, huius morbi incipientis curationem ita tentandam eſſe, diſertis praecipit verbis:

t) In Libro ſaepius laudato *cap.* *35. p. 865.*

u) *Hiſtoire de la Medecine Part. I. Livre I. Chap. 20. p. 64.*

verbis [x]: Ὀδύνη δὲ πλευρῦ, ἤν τε κατ' ἀρχὰς γένηται, ἤν τε ἐς ὕϛερον, θερμάσμασι μὲν πρῶτον ὐκ ἀπὸ τρόπυ ἐϛὶ χρησάμενον πειρηθῆναι διαλύσαι τὴν ὀδύνην. Et ad idem hoc melius perficiendum in primis *acetum* et *ſalem* egregie commendat [y], addita tamen ſapientiſſima hac cautela [z]: ἢν δὲ μὴ λύηται πρὸς τὰ θερμάσματα ὁ πόνος, ὐ χρὴ πολὺν χρόνον θερμαίνειν. καὶ γὰρ ξηραντικὸν τῦ πλεύμονος τῦτό ἐϛι, καὶ ἐμπυητικόν.

Sin *ſpuria* adfectus ſit *pleuritide*, et a cauſſa frigida, et flatibus, eiuſmodique aliis illa prouenit, hoc citius effectum huius medicamenti eſſe debuit, et hoc maior vſus. Ita elegantiſſimus Graecus Medicus, AETIVS, apud quem inueniuntur quam plurima peregregia, de quibus recentiorum Medicorum nonnulli, tamquam de propriis, gloriantur atque tumeſcunt inuentis, de *ſpuria pleuritide* verba faciens [a]: Θεραπεύοντες μέν τοι τὺς τοιύτυς, πάντα τὰ θερμαίνοντα, καὶ ῥύπτοντα, καὶ τέμνοντα, προσοίσομεν. Ἔνδοθέν τε καὶ ἔξωθεν. Καὶ πρῶτον μὲν ἀπὸ τῶν ἁπλυϛέρων ἀρκτέον. Sed qui morbi naturam cognoſcit, facile et a priori, quod vocant, colliget, eiuſmodi medicamentum huic morbo omnino adpoſitum eſſe atque adcommodatum [b]. Haec tandem dicta non intelligi volumus, quaſi vero,

x) *Opp. Tom. II.* περὶ διαίτης ὀξέων. § *XI. p.* 276.

y) *ibid. p.* 277. Conferas quae HIPPOCRATEM ſequutus, hac de re habet Vir, numquam ſine honore nominandus, CAROLVS PISO, in *Selectis Obſeruationibus et Conſiliis de praeteruiſis hactenus Morbis Affectibusque praeter naturam, ab aqua, ſeu ſeroſa colluuie, et diluuie, ortis*, ex *Edit.* H. BOERHAAVE, *Lugd.* 1733. *Sect. III cap.* 9. *de pleuritide et doloribus lateris p.* 258. Adde noſtram *Exercit. Academic. de Sacchari Saturni vſu interno ſalutari, Lipſiae* 1741. *edit. p.* 11. *not. q.*

z) *ibid.* § *XII. eadem pag.*

a) βιβλ. ὀγδ. *Edit.* ALDIN. *pag.* 176. *b.*

b) De calidis generatim, tum etiam ſpirituoſis et cineribus ſpeciatim, pleuriticorum pectori non ſine vſu adplicandis, conf. MICHAEL. ETTMVLLERI *Opp. Tom. II. Part. I. p.* 572. cui, quos addas, profecto digniſſimi, FRIDER. DEKKERS in *Exercit.*

vero, huius morbi curationem in hoc medicamento vno positam esse, putaremus, ideoque magnum, nedum omne salutis praesidium inde esse petendum, vellemus, sed id saltim euictum cupimus, hanc medicinam hic, praecipue sub morbi initium, non absurde suaderi, et aliquam certe partem ad morbum abigendum omnino posse conferre, id quod etiam de mox subsequenti remedio Diuino dictum esto.

§ VI.

Tertia inscriptio exposita. HIERONYMVS MERCVRIALIS, H. CONRINGIVS, *et* TOMASINVS *circa eius versionem notati.* Pinus AESCVLAPIO *sacra. Coniectura de lapide quodam, a* M. VELSERO *et* ALMELOVEENIO *exposito. Curatio morbi et regulis artis, et experientiae conueniens. Quo modo desperato salutaris?*

Progreditur iam inscriptio ordine tertia:

Αἷμα ἀναφέροντι Ἰουλιανῷ, ἀφηλπισμένῳ ὑπὸ παντὸς ἀνθρώπου, ἐχρημάτισεν ὁ Θεὸς, ἐλθεῖν, καὶ ἐκ τριβώμου ἆραι κόκκους στροβίλου καὶ φαγεῖν μετὰ μέλιτος ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας, καὶ ἐσώθη, καὶ ἐλθὼν δημοσίᾳ ηὐχαρίστησεν ἔμπροσθεν τοῦ δήμου.

Hanc in Latinam sic transferimus linguam:

Iuliano cuidam, sanguinem per os eiicienti, et omnibus desperato, Aesculapii oraculum consilium dedit, vt, ad aram accedens, sumtas inde nuces pineas cum melle tres dies comederet. Et refecta valetudine Deo gratias egit, populo praesente.

Exercit. pract. p. 305. et Ill. DAN. WILHELM. TRILLERVS, Fautor et Amicus suauissimus, in *Succincta Comment. de Pleuritide eiusque Curatione, Francof. ad Moen. 1740. edit. Cap. 4. § 5. p. 53.* Confer optimam eorum, quae externe in hoc morbo adplicari possunt, descriptionem in IOANN. OOSTERDYK SCHACHT *Institut. Med. Pract. Traiecti ad Rhenum 1747. edit. Lib. VI. de morbis pectoris cap. 1. de Pleuritide § 30. p. 145. Quae vero externe adplicantur remedia, ea neque nimio aestu vasa crispare, neque nimio frigore multum constringere, sed primum prudenter repellendi, dein resoluendi facultate praedita esse debent.*

Αἷμα ἀναφέροντι Latine commode reddi posse, per *sanguinem per os eiicienti*, putauerim, quod scilicet haec loquendi ratio αἷμα ἀναφέρειν et *vomitum*, et *haemoptysin*, et *sputum cruentum*,[c] generatim exprimat, hinc illi omnino errent, qui nimis speciatim explicent *sanguinem reuomenti*[d], praecipue quum maxima sit differentia inter has morbi species, nec parum intersit, vnam ab altera diligentissime distinxisse. Optime propterea omnium interpretum, et quam proxime ad rei naturam accedens, vertit CLERICVS[e] per *vomissant ou crachant du sang*. Sed vnde *nuces pineae* in ara AESCVLAPII? Harum vsum tanti fecerunt veteres in curatione morborum, vt eas vel hac de caussa Deo Seruatori, et artis Medicae tutelari, AESCVLAPIO consecrare videantur, quod IOANNEM, MEVRSII filium, ignorasse credo, quippe qui, arbores Diis sacras recensens, plura de *pinu*, variis Numinibus sacra, disputat, AESCVLAPII vero in eorum numero ne verbo quidem meminit[f]. Ita huius rei excellentissimum monimentum inuenitur

c) Licet *haemoptyseos sputi*que *cruenti* sit eadem vis atque significatio, et sub *sanguinis sp*[illegible] generatim CELSVS *De Medicina L. IV. cap.* 4. *§ 5 p. 202. seq.* omnem ex ore sanguinis eiectionem designet, vel idem ex ipso pulmonum vase aperto, rupto, exeso, vel tantum ex gingiuis, ore, faucibus, feratur; melioris tamen doctrinae caussa Ill. FRIDER. HOFFMANN. eadem a se inuicem ita distinxit, vt priorem speciem *haemoptysin*, alteram *sputum cruentum* κατ' ἐξοχὴν nominet. *Opp. Geneuae 1748. edit. Tom. I. p. 296.*

d) HIERONYM. MERCVRIALIS *de Arte Gymnastica Lib. I. cap. 1. p. 3.* CONRINGIVS in *Dissertatione de Incubatione* saepius citata, *§ XXXVI.* TOMASINVS *loc. cit. Cap. 7. pag. 784.* Ἀναφέρειν αἷμα ARETAEVS *Cappadox* generatim designat per αἵματος ῥοὴν τὴν διὰ στόματος, a qua, tamquam species varias, quo modo distinguat: ἔμπλυσιν, ἀναγωγὴν αἵματος, αἱμοῤῥαγίαν, videre pluribus erit in *Morb. Acutor. Lib. II. cap. 2. p. 11. seqq.* Confer PETRI PETITI *Comment. et Animaduers. in h. l. p. 155. seqq. Edit.* HERM. BOERHAAVE *Lugd. Batau. 1731.*

e) *Part. I. Livre I. Chap. 20. p. 64.*

f) In *Arboreto sacro. Lib. I. cap. 15. de Pinu p. 56.* De *pinu* et *nuce pinea,*

nitur apud PAVSANIAM[g]: Ἐσελθοῦσι δὲ ὁ Θεός (AESCVLAPIVS) ἐστιν οὐκ ἔχων γένεια, χρυσοῦ καὶ ἐλέφαντος, Καλάμιδος δὲ ἔργον. ἔχει δὲ καὶ σκῆπτρον, καὶ ἐπὶ τῆς ἑτέρας χειρὸς πίτυος καρπὸν τῆς ἡμέρου. Pinus ſatiuae vero fructus ſunt κόκκοι στροβίλου ſeu *nuces pineae*[h]. Eſt inter monimenta agri Auguſtae Vindelicorum lapis quidam, apud M. VELSERVM expoſitus, et iterum ab eruditiſſimo ALMELOVEENIO[i] doctiſſimis notis illuſtratus, virum vna cum coniuge ac puerulo referens, quorum hic aliquid, fructus ſimile, manu tenet, quod ALMELOVEENIVS, nobis cum illo omnino facientibus, pro *nucibus pineis* habet. Ambigunt, quid hoc ſibi velit monimentum? Si coniecturis coniecturam addere licet, crediderim fere, vnum eſſe ex donariis veterum, et parentes fortaſſis pro filio aegroto, et poſtea vſu nucis pineae reſtituto, votum hoc ſoluiſſe lapide poſito. Sed de hac re alii tranſigant, noſtrum quidem in praeſentia amplius anquirere non eſt. Iam faciamus τὸ ἀναφέρειν αἷμα hic *haemoptyſin* ſignificare, medicamentum hoc ex *melle* cum *nucibus pineis* omnino fuit conueniens atque adpoſitum. Inter frequentiores cauſſas *haemoptyſeos* eſſe ſolet commotio ſanguinis longe vehementior, quam vt a vaſorum robore contineri poſſit, ideoque ab iisdem variis modis dimittatur. Haec haud raro ab abundantia ſalium, muriatici in primis, in ſanguine prouenit, quippe quae forma ſua angu-

loſa

pinea, variis Diis ſacra, conferre poteris, quae habet elegantiſſimus, et non ſine honore nominandus, GISBERTVS CVPERVS in *Harpocrate p.* 40. 41.

g) In *Corinthiacis ſiue Lib. II. Cap.* 10. *p.* 134.

h) SVIDAS *in voce* πίτυς. πίτυς εἶδος δένδρου κωνοφόρου ἢ παρ' ἡμῖν στροβῆλα. Vide SIMONIS PAVLLI *Quadripartiti Botanici Claſſ. IV. v. Larix, p. m.* 599. *Francof. ad Moen.* 1708.

i) In *Coniectaneis ad Virum Ampliſſimum* GISBERTVM CVPERVM, quae ſunt *in Opuſculis p.* 141.

loſa et rigidiori humores incidunt, eoſdem in minimas diuidunt moleculas, et, ad mouendum ſeſe ſummo cum impetu, duplici praecipue ratione incitant, laedunt vaſa minima, deterunt ea, atque exedunt, efficiuntque, vt acrior ſanguis, ex vaſis, ita laeſis, dimiſſus, ſtagnet, putrefiat, corrumpat vicina, gignat ἐμπύημα, et, pure acriori per omne corpus cum ſanguine tranſuecto, omnia perdat, hominemque lenta febri tandem exſtinguat[k]. Quidquid ideoque ſalium ſummam acrimoniam obtundit, et ita ſanguinis fluxu reddito pacatiori, partes, antea vi humorum acriorum irruentium laeſas, balſamo ſuo delenit atque ſanat, hoc in curatione ſputi ſanguinis ſummum praeſtet vſum, omnino oportebit; nunc vero *nuces pineae* ita conſtitutae ſunt, vt ſalium acrimoniam nonnihil infringere, et blando ſuo oleo angulos eorumdem delenire, immo inuoluere poſſint, et *mel* ita comparatum eſt, vt, vi balſamica ſibi inſita, vaſa interius vulnerata, poſt ſedatum humorum correctorum impetum, ſanare poſſit, ideoque haec omnino ſub initium ſaltim, et niſi morbus iam altiores egerit radices,

k) Ex hac cauſſa oriundam *haemoptyſin* omnium eſſe peſſimam, periculique pleniſſimam, ipſius natura cognita, experientia, optimorum veterum et recentiorum Medicorum teſtimonia, comprobant. Ita A. C. CELSVS *De Medicina L. IV. §. 5. p. 202. Auctores*, inquit, *Medici ferunt, vel exeſa parte aliqua ſanguinem exire, vel rupta, vel ore alicuius venae aperto. Primam* διάβρωσιν, *ſecundam* ῥηγμοχασμὸν, *tertiam* ἀναστόμωσιν *adpellant. Vltima minime nocet, prima grauiſſime.* Eadem quidem diuiſione morbi vſus ſummus BOERHAAVE, CELSI tamen ῥηγμοχασμὸν vocat διαπήδησιν, et quartam adiicit ſpeciem, διαίρεσιν ſcilicet, quando vas rumpatur ab interna quadam diſtentione, quam diſcernit a διαβρώσεος vitio, quippe in quo vas ferens ſanguinem, ab humore acriori erodente demorſum aperiatur. Vide eiuſdem *Praelectiones Academicas in proprias Inſtitutiones rei Medicae, edit.* ab Ill. ALBERTO HALLERO, *Tom. VI. § DCCVII. p. 32. ſeqq. Goettingae* 1744.

radices, erunt ſalutaria [l]. Quanti fecerint veteres vſum *nucum pinearum* [m] et *mellis* in curatione pectoris morborum, exinde nullo negotio cognoſci poterit, quod eumdem fere vbique ſummo opere commendent. Ita apud HIPPOCRATEM in curatione morborum pectoris *mel* omnem fere abſolvit paginam, et in pectoris inflammatione eclegma ex *melle*, *nucibus pineis*, et gummi galbano ſpeciatim commendat [n], et ORIBASIVS [o] adfirmat, *nuces pineas* cum marubio decoctas, addito *melle*, eximium praeſtare vſum in tuſſi, raucedine, et pulmonum pituita tenaciori, curandis, immo AETIVS [p] in curatione pleuritidis eclegma parari iubet ex *nucibus pineis*, cum ſemine lini parum toſtis, admixto *melle* deſpumato. Ex recen-

l) Hanc noſtram de mellis virtute ſententiam egregie corroborat ſummi H. BOERHAAVE de eadem iudicium in *Element. Chem. Lugd. Bat. 1732. edit. Tom. II. Proceſſ. 42. p. 165.* vbi, *abeſſe*, confirmat, *a melle puro vim calefaciendi, exſiccandi, conſtringendi; ineſſe attenuandi, detergendi, laxandi, ſtimulandi,* cetera.

m) *Nucum pinearum*, cum *melle* permixtarum, vſum veteres Medici, cum Graeci, tum Latini, ad vnum fere omnes in hoc caſu quam maxime commendant. Vbi notatu digniſſimum, illos ſub voce κόκκαλος, hos vero ſub vocabulo *nucleus*, κατ᾽ ἐξοχὴν plaerumque *nuces pineas* deſignare. Vtrumque optime HIPPOCRATIS, GALENI, ARETAEI, DIOSCORIDIS, PLINII, THEODORI PRISCIANI, aliorumque exemplis corroborat partim PETRVS PETITVS in *Commentar. in* ARETAEVM *Ed. cit. p. 245.* partim CLAVD. SALMASIVS in *Exercitat. Plin. p. 160.* et qui his addatur, omnino digniſſimus, et de elegantiori, cum litteratura omni, tum in primis Medicina, excellenter meritus Ill. DAN. WILH. TRILLERVS in ſuperius citata elegantiſſima *Commentatione de Pleuritide p. 193. 194.*

n) Ita *Opp. Tom. I.* Ἐπιδημιῶν, *VII. § 6. p. 831. II.* περὶ νούσων β′. *§ 52. ſeqq. p. 78. ſeqq.* Vid. CLERICVM in *Hiſt. Med. Part. I. Livre. III. Chap. 26. p. 220.*

o) *De Loc. affect. Curat. Lib. IV. cap. 77. de Tuſſi, etc. in Collect.* STEPH. *Medic. Art. Princip. p. 658.*

p) Βίβλ. ὀγδ. *Edit.* ALDIN. *p. 176. a.* περὶ πομάτων πλευριτικῶν.

recentioribus MICHAEL ETMVLLERVS[q], vt reliquos innumeros alios taceam, et *nucum pinearum*, et *mellis* vſum, in morbis pectoris, aliisque ſummis laudibus extollit. Hoc tandem animaduertamus, neceſſe erit, et in hac tertia, et ſecunda inſcriptione, de aegrotis dici, *eos deſperatos ab omnibus fuiſſe.* Quo modo, rebus ita conſtitutis, medicamentorum commemoratorum, alias ſub initium morbi adhuc leuioris cum vſu adplicandorum, ea vis atque potentia eſſe potuit, vt vel fere conclamatos reficerent? Crediderim equidem, experientiam veterum in arte medica, tum temporis nondum haud ita magnam fuiſſe, et eos aegrotos, quibus hodie, tantis inſtructi praeſidiis, facillime reſtituimus ſanitatem, continuo, vel leuiori morbo adfectos, pro deſperatis habuiſſe, vel per ſimulationem eos pro deſperatis populo vendidiſſe, quo magis deinde curatio eorumdem, a Deo ſuſcepta, videretur miraculoſa.

§ VII.

Quartae inſcriptionis expoſitio. Ornamenta monimenti explicata. Qua ratione vera medicina ſomnio monſtrata? Sacerdotum artificia.

Supereſt tandem quarta et vltima inſcriptio exponenda et illuſtranda:

Οὐαλερίῳ Ἄπρῳ στρατιώτῃ τυφλῷ ἐχρημάτισεν ὁ Θεὸς ἐλθεῖν, καὶ λαβεῖν αἷμα ἐξ ἀλεκτρύονος λευκοῦ μετὰ μέλιτος, καὶ κολλυρίου συντρῖψαι, καὶ ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας ἐπιχρεῖσαι ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμούς. καὶ ἀνέβλεψεν, καὶ ἐλήλυθεν, καὶ ηὐχαρίστησεν δημοσίᾳ τῷ Θεῷ.

Quam ſic reddimus Latinam:

Valerio Apro, militi caeco, ſuaſit oraculum, vt collyrio, ex galli albi ſanguine et melle commixto, oculos tres dies inungeret. Et reſtitutis oculis publice Deo gratias egit.

In

q) *Opp. Tom. I. de* pinu *et* pineis *p. 505. et de* apibus *p. 698.*

In linea altera κολλυςἰυ positum esse videtur pro κολλύςιον, et fortassis olim ita fuit scriptum, postea vero tractu temporis lineola detrita. Et in tertia linea ἐπιχςεῖσαι pro ἐπιχςῖσαι. Ipsum ad medicamentum quod attinet, iam supra vberius nostram exposuimus sententiam, cui hoc additum volumus, caeco salutis spem, ne minimam quidem, inde affulgere. Probe enim scimus, nonnullos in oculorum morbis quibusdam, inflammatione et obstructione in primis, valde commendare *mellis* aquam destillatam [r], sed ipsa mellis substantia, et ita quidem, vti hic praecipitur, commixta, ὐδὲ γςὺ proderit, immo potius nocebit, vt taceam nunc, cum in omni, tum praecipue in illa caecitatis specie, oriunda a vitio retinae, parte sui alia infarcta, alia compressa contectaue, omnium collyriorum vsum esse absurdissimum [s]. Exprimendum hoc monimentum accurate ita curauimus, vt inuenitur in IAN. GRVTERI *Syntagmate Inscriptionum*, a I. G. GRAEVIO edito, vbi in parte tabulae marmoreae, in qua effractum aliquid est, ornamenti caussa adpositum esse videmus templum AESCVLAPII, ad quod *incubaturi* accedunt, et AESCVLAPIVM ipsum. Huius delineatio desumta est ab illo AESCVLAPIO, ex albo marmore cubitali in museo OCTAVII TRONSARELLI conseruato, cuius secum communicatam imaginem, et

r) MICH. ETTMVLLERVS *l. c. p. 699.* et HERMAN. BOERHAAVE in libro iam citato *p. 165. Aqua illa,* inquit, *virtutem quamdam a spiritibus, florum melli inhaerentibus, accepit: vnde mirae vtilitatis habetur in collyriis, et fomentis, oculo inflammato aut obstructionibus laboranti, adplicandis.*

s) Vide excellentissimi Medici, artem suam felicissime cum geometria quondam coniungentis, et numquam sine summo honore nominandi, ARCHIBALDI PITCARNII *Opp. Lugd. Batau. 1737. edita III. Theoria morborum oculi, pag. 206. seq.*

expoſitionem, dedit IOAN. BAPTISTA CASALIVS [t]. His huc vſque expoſitis addere poſſemus adhuc plura eiuſmodi medicamenta, quae, per ſomnia ſe accepiſſe, ſomniarunt veteres: ſed, quum iam eadem ſupra attigerimus [u], nec pluribus hic perſequi cum ſpatii anguſtia, tum ratio inſtituti permittat, eadem apud alios conſpicere licebit [x]. Id potius adhuc paucis perſequamur, quo modo factum putemus, vt, ſaltim haud raro, accommodata, ſummumque vſum ferentia, medicamenta ſomnio viderint? Vel ipſi *incubabant*, vel ſacerdotes pro illis, vt ſuperius demonſtrauimus. Si prius? quid ni veri ſimile ſit, illorum ieiunorum, varieque praeparatorum [y], animis, ſumma ſuperſtitione turbatis, viſum eſſe, ſibi aliquid remedii ad morbum, quo laborabant, adpoſiti, ſe obtuliſſe? vel ſi etiam abſurdum eſſet, quod ſomniabant, quidni artificiis ſacerdotum, artis medicae peritorum, commode explicari potuit? Sin vero ſacerdotes pro aegrotis ſomnia caperent? longe melius iis imponi potuit, et duplici modo, quod quidem videtur, commode id potuit fieri. Somnia explicando [z] ſacerdotes vel medicamentorum vſum com-

t) *De profan. et ſacr. Vet. Rit. Part. II. Cap.* 7. *De* Aeſculapio *p.* 70. *ſeq.*

u) *Sect. II. § 3.*

x) CICERO *de Diuin. L. I. Cap.* 10. Conf. ADR. TVRNEBI *Aduerſar. Lib. V. Cap.* 20. ARTEMIDORVS in *Oneirocrit. Lib. IV. Cap.* 24. *p.* 215. Id. *de ſomniorum euentibus, ſomn.* 89. CONRINGIVS in ſaepius cit. *Diſſertat. de Incubatione § XXXVIII.* et TOMASINVS *lib. cit. Cap. XXXV. p.* 565. *ſeq.*

y) ANTON. VAN DALEN *Lib. cit. Cap. VI. p.* 112.

z) Haec pro lubitu, et in vtramvis partem explicarunt, vt ſuorum Deorum dignitatem laborantem iuvarent. Ita maxime ridiculam divini ſomnii expoſitionem ſuppeditat ARTEMIDORVS *Oneirocrit. Lib. V. ſomn.* 94. Περὶ ὀσχέον μέλλων τὶ τέμνεσθαι, ηὔξατο τῷ Σαράπιδι περὶ τῆς τομῆς, καὶ ἔδοξε λέγειν αὐτῷ τὸν Θεόν· θαῤῥῶν τέμνε, θεραπευθήσει τεμνόμενος· ἀπέθανεν. Quis non credat

commendarunt, de quibus huic vel illi morbo ſalutaribus, ipſis iam ex aliorum libris, vel experientia, cognitum fuit, vel eiuſmodi ſuaſerunt medicinam, cuius, ex ipſius, et morbi, natura inter ſe comparata, ſalutarem futurum eſſe vſum ſperarent. Si deinceps conſilio exoptatus reſponderet euentus, hanc medendi rationem nouam, et vſu confirmatam, retulerunt ad iam cognitas atque expertas; ſin contra ſpe exciderent, damno moniti ab eodem abſtinuerunt poſtea medicamento. Et in neutro caſu quid ſubierunt periculi ſacerdotes. Conualeſcentibus enim ex oraculo aegrotis, ſuorum Deorum ſummo opere extulerunt veritatem et potentiam; morbo vero acriori et vehementiori facto, immo morte oppreſſis aegrotis, *incubantes* incuſarunt, eoſdem impios, et indignos diuino beneficio, ad rem ſacram acceſſiſſe. ARTEMIDORVS egregie de medicamentis, a Diis commendatis, diſſerit [a], et demonſtrare adnititur, nihil in iisdem inueniri abſurdum: Περὶ δὲ συνταγῶν, ὅτι μὲν οἱ Θεοὶ ἀνθρώποις συντάσσουσι θεραπείας, μάταιον τὸ ζητεῖν. πολλοὶ γὰρ καὶ ἐν Περγάμῳ καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, καὶ ἀλλαχοῦ συνταγαῖς ἐθεραπεύθησαν. εἰσὶ δὲ οἱ καὶ τὴν ἰατρικὴν ἐκ τοιούτων συνταγῶν λέγουσιν εὑρεῖσθαι. ὅτι δὲ ἀναγράφουσί τινες συνταγὰς, πολλοῦ γέλωτος εἰσὶ μεσταὶ, καὶ τοῖς ἐπιπόσον ἀφιγμένοις φρονήσεως, ἡγοῦμαι σαφὲς εἶναι. οὐ γὰρ τὰ ὁρώμενα γράφουσιν, ἀλλ᾽ ὅσα ἂν αὐτοὶ πλάσωσιν. Et paullo inferius aliquid adfirmat, quod omnium optime et commodiſſime de ſacerdotibus

credat, rem ex voto ſucceſſiſſe, auctoritate diuina ſuſceptam? Sed contra opinionem, ſpe irrita, mortuus eſt. Habet vero ARTEMIDORVS, vnde oraculorum conſulat veritati, ἔμελλε γὰρ, inquiens, ὥσπερ θεραπευθεὶς ἄπονος ἔσεσθαι. εἰκὸς δὲ ἦν αὐτῷ χωρῆσαι τοῦτο, ἐπειδὴ μὴ ὀλύμπιος ἢ ἐλευθέριος ὁ Θεὸς, ἀλλὰ χθόνιος. Egregia ſcilicet oppoſiti euentus explicatio.

a) *Oneirocrit. Lib. IV. Cap. 24.* περὶ συνταγῶν *Edit.* NICOL. RIGALTII *p. 213. ſeq.*

dotibus intelligi poterit atque debebit: Πολλοὶ δὲ, inquit, καὶ ἐκ τῶν Ἀριστοτέλους περὶ ζώων, καὶ Ἀρχελάου, καὶ τῶν Ξενοκράτους Ἀφροδισιέως παρακηκοότες ὑφ' οὗ ἕκαστον τῶν ζώων θεραπεύεται, καὶ τί ἕκαστον φοβεῖται, ᾧ μάλιστα χαίρει, εἰς συνταγὰς καὶ θεραπείας ἀναπεπλάκασι. Sacerdotes enim, dolo ex his aliisque libris curationes morborum ſubripuiſſe, eaſdemque *incubantibus* pro diuinis vendidiſſe oraculis, immo cum haec ſpeciatim, tum omnia oracula generatim, artificiis eorum fuiſſe edita, omnino cognitum atque perſpectum habemus, quidquid etiam ſummus IOANNES POTTERVS contradicat [b].

b) *An a Daemonibus proceſſerint, an vero callidorum ſacrificulorum impoſturae ſolummodo fuerint oracula, iam diu controuertitur.* VANDALEN, *ſcriptor ille Belga, amplo tractatu poſteriorem ſententiam adſtruere conatur, cuius argumenta non tam valida mihi videntur, quin facile dilui poſſent, ſi vel inſtitutum exigeret, aut tempus mihi adforet.* In *Archaeologia Graeca Lib. II. Cap. 7. de Graecorum diuinatione et oraculis in genere* in IAC. GRONOVII *Theſaur. Antiqu. Graec. Tom. XII. P. II. p. 268.*

